


Dissertatio Theologica De Beneficiis Typicis

Recud., Altdorfi[i]: Iod. Gvil. Kohlesivs, 1724

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862184053>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn862184053/phys_0001

DFG

385


A. B.
48. 6. 8.

18

Fa-1092 (18.)



2.
23.
3.
22.
4.
21.
5. 20.
6. 19.
7. 18.
8. 7.
11.
9.
15.
10.
14.
11.
1.



2.

23.

3.

22.

4.

21.

5.

20.

6. 19.

7. 18.

8. 7.

9.


15.

10.

14.

11.

1.



2.

23.

3.

22.

4.

21.

5.

20.

6. 19.

7. 18.

8. 7.

9.

15.

10.

14.

11.

1.

Q. D. B. V.
 DISSERTATIO THEOLOGICA
 DE
BENEFICIIS
TYPICIS

QUAM
 PRAESIDE
 JOHANNE JACOBO PFIZERO
 SS. THEOL. D. EJVSDEMQVE P. P.
 PRAECEPTORE ET AFFINE SVO
 OMNI PIETATIS AFFECTV AETATEM
 DEVENERANDO

AD DIEM JUNII
 IPSO ANNO NORIMBERGENSIS VNIVERSITATIS ALTDORFINAE
 SAECVLARI

DISQVSSIONI PVBLICAE
 SVBIICIET

JOHANNES FRIEDERICVS STOY
 VORRA-NORIMBERGENSIS.

ALTDORFI,
 RECVD. IOD. GVIL. KOHLESIVS, ACAD. TYPOGR. 1724.

TRINVNI DEO

DVLCISSIMAE

PATRIAE

OPTIMIS

PATRONIS

PRIMITIAE HAE ACADEMICAE

KA QVA DECET

RELIGIONE ET PIETATE

CONSECRENTVR





SECTIO PRIOR
IDEAM GENERALEM BENE-
FICIORVM TYPICORVM
SISTENS.

Σ Τ Ν Ο Ψ Ι Σ.

*Ad infinitam beneficiorum divinatorum va-
rietatem etiam typica referuntur. §. I.*
*Quibus considerandis praemittuntur va-
riarum typorum divisiones. §. II.*
*Electa in Res & Actiones typicas distin-
ctione, diversa notantur Actionum gene-
nera, quibus beneficia adnumerantur.
§. III.*
*Quid & quotuplicia sint: Primum Parti-
cularia & Universalia. §. IV.*
*Dein ratione instituendae ad antitypum
applicationis sunt triplicis generis. §. V.*
*Quorum differentia, inter alia, ad usum
pertinentia, caute observanda. §. VI.*
Abusus heic occurrunt I, deficiens eorum,
*qui omnem vel praecipuum in V. T. re-
spectum ad Christum tollunt. §. VII.*
*Suo modo etiam eorum, qui omnes typos il-
latos absolute rejicere dicuntur. VIII. IX.*
*Abusus II. excedens occurrit, quando a)
humanae applicationes cum indicatio-
nibus Sp. S. confunduntur §. X. quod
neque excessu. §. XI.*
neque periculo cavere ostenditur. §. XII.
*quando β) applicatio ad errores contra
analogiam fidei confirmandos institui-
tur. §. XIII.*
*Transitus ad partem specialiozem, per or-
dinis hic observandi indicationem pa-
ratur. §. XIV.*

§. I.



Ogitanti mihi de idoneo Exercitationis Theo-
logicae argumento, quod ante meum a patria
Univerſitate diſceſſum elaborandum ſumerem,
& quo ſpecimine ſtudiis meis Academicis, quae
per aliquot annos in hac Muſarum ſede pro-
ſequi mihi licuit, coronidem imponerem, oc-
currebat animumque occupabat ſolennis illa & laetiſſima Feſti,
quod inſtat, ſaecularis celebratio. Illa mihi in mentem revoca-

A 2

bat

bat insignem beneficiorum cumulum, quæ per elapsum hujus Saeculi spatium, Benignissimum Numen inclutae huic Academiae, & per eandem Ecclesiae quoque ac Reipublicae universae exhibere voluit. Deplorabam inde corruptissimam multorum conditionem, qui, uti plerisque Gratiae divinae documentis ita & insigni huic beneficio, dignum, quod exposcit, pretium non statuunt; ut adeo & hoc inter Beneficia Dei vulgo minus agnita (a) referri mereatur. Tacitus venerabar laudatissimam Per-Illustris Reipublicae Norimbergensis pietatem, quae, ut hunc ditionis suae thesaurum, Majoribus nostris a Deo datum, etiamnum sustentat ac diligit, ita pro ejusdem conservatione gratiarum actiones publicas, votaue solennia, ad aliorum exempla nuncupare decrevit. Inde, uti fieri solet, in cogitationes cognatas delatus, plane stupebam Divinorum beneficiorum infinitam varietatem, cui recensendae mens Psaltis Regii devota Spirituque S. plena, imparem se esse merito professa est. (b) Quinimo difficile fuerit, certas illis distinctasque classes ita assignare, ut animus attentus non subinde nova quasi eorundem genera detegere, novisque inde stimulis ad Nomen Dei pie celebrandum semet excitare queat. Sunt certe quaedam beneficia divina, tam foecunda, ut *praegnantia* eadem aut *complexa* vocare possis. Extendunt se ad plura objecta, neque in angustos unius loci, aut unius etiam aetatis, limites includi volunt, sed ad posteros etiam, ad remotos a nobis tempore locoque, diffunduntur; cui beneficiorum divinorum classi, qui scholas publicas bene constitutas accensuerit, haud equidem meo iudicio erraverit. Inter reliqua vero beneficia divina, illa quoque attentioem merentur considerationem, quæ Deus, in Oeconomia Veteris Testamenti, populo cum primis quondam suo exhibuit, quibusque alia sublimiora, & Novo Testamento praecipue reservata, tanquam in umbris praefigu-

(a) Retulit in amplum, quem de hoc argumento consignavit, catalogum, *Academiarum conservationem GERBERVS von den unerkannten Wohlthaten Gottes. P. III. c. 4. p. 50. seqq.* (b) Pf. XL. 6. & alibi.



praefiguravit. Vocantur hujusmodi Beneficia, Typica, multis-
 que Scripturae locis lucem non penitus contemnendam afferunt.
 Vnde &, cum peculiari commentatione hoc argumentum illu-
 stratum esse non recorderer, ex variis, quae se offerebant, disse-
 rendi argumentis, hoc unum eligere, & pro ingenii viriumque
 modulo ita pertractare constitui, ut primo de Beneficiorum Dei
 typicorum idea generali quaedam afferrem, postea vero selecta
 eorundem exempla ex Codice S. colligerem, & quibusdam ob-
 servationibus illustrarem. Quod dum facere aggredior, Divinum
 Numen supplex oro, ut mentem & calamum ad veritatis coele-
 stis agnitionem benignitatisque infinitae devotam venerationem
 dirigere dignetur.

§. II.

Vt de Beneficiis typicis recte constare queat, quaedam de
 Typis in genere vel supponenda vel praemonenda sunt. Vbi
 quidem ea, quae de diversis eorundem significationibus, & a va-
 riis varie traditis divisionibus B. GLASSIVS (c) collegit, repe-
 tere animus non est. Neque etiam prolixius examinare vacat
 divisionem typorum, quam ipse, missis aliis, ut commodiorem
 tradidit, in *Propheticos & historicos* eosdem distinguens, cum
 Celeberrimus BVDDEVS (d) jam monuerit, eam omnia
 non exhaurire, novisque proinde hic subdivisionibus opus esse.
 HERM. WITSIVS (e) typos in tres classes, in *naturales, hi-
 storicos & legales* non incommode dispesci arbitratur. Aliis divisio
 eorundem in *legales, historicos & propheticos* placet. Et certe
 pro diverso considerandi modo variae etiam dividendi rationes
 locum inveniunt. Typus est σκια (f) cui σωμα opponitur; σκια
 των μελλοντων; των παρονητων &c. cujus proinde formalis ratio,
 in qua omnes convenire debent, in praefigurando & adumbrando
 consistit; diversitas vero tum ex rei adumbratae, tum ex rei ad-

A 3 umbran-

(c) Philol. S. L. II. P. I. Tr. II. Sect. IV. de typis. (d) in Diff. eleganti de Pec-
 catis typicis, quae & Syntagmati edito inserta est §. III. (e) in Oecon.
 foed. L. IV. c. 6. §. 12. (f) Col. II, 17, Hebr. VIII. 5, X. 1.

umbrantis varietate oritur. Cum igitur, ut Christus cum suis operibus, Gratiae Evangelicae beneficia, & oeconomia regni divini sub N. T., fidelibus Veteris Testamenti, umbratili quasi descriptione proponerentur, Deus & varios ritus sacros, omnemque apparatus Leviticum, & diversa facta, & nonnulla vaticinia adhibere voluerit: nihil obstat, quo minus geminum dividendorum typorum fundamentum esse statuamus. Quod si enim res *adumbratas* consideres, sunt Typi alii, qui Christum, Caput, alii qui Ecclesiam, corpus mysticum, concernunt. Ibi diversa officia, status, beneficia, & alia, specialia quoque, praefigurata cernuntur; hic varia fata, secunda & adversa, quaeque vel civium hujus regni spiritualis felicitatem, vel hostium insultus & poenas spectant, observari possunt. Si rerum *adumbrantium* rationem habeas, generalissimo conceptu ad *Res & Actiones* referri possunt. Si modum & rationem propiorem praecipue spectes, sub quo hujusmodi vel Res vel Actiones in Scriptura aliquid amplius praefigurasse dicuntur, vel praeceptae illae atque divinis constitutionibus determinatae erunt, vel recensentur ut factae, vel tanquam futurae pronunciantur; unde quo fundamento typi in *legales, historicos & propheticos* dispesci queant, facile patet. Nobis nunc quidem lubet, universalissimae isti typorum distinctioni in Res & Actiones paulisper inhaerere, ut commodam nobis & propiorem ad ea, quae dicenda supersunt, viam sternamus.

§. III.

Ac initio quidem patet, quando Rebus Actiones opponuntur, quod Rerum classis latius nobis extendatur, & quod quaedam, quae alias ut Modi rerum ipsis rebus contradistingui solent, rebus nunc accenseantur, adeoque ad priorem, non vero ad posteriorem classem pertineant. Quaecunque enim alias, praeter res specialiter sic dictas, de Locis, de Personis atque Temporibus, sacris & profanis, tradi (g) solent, haec omnia ad res, sensu latiori

(g) Ita frequenter & commode satis divisiones suas instituunt, qui in Antiquitatibus potissimum sacris illustrandis, & ad rem typicam applicandis versantur, quod vel solo RELANDI exemplo, aut ex Cl. JOACHIMI LANGII *Mysterio Christi* &c. cuivis constat,

latiori sumtas referuntur, solis Actionibus exceptis, quae in typorum evolutionibus tanto occurrunt numero, ut a rebus adaequate distingui & peculiari classi non incommode includi possint. Missis nunc *Rebus*, quae Dei vel Creatoris, vel Legislatoris voluntati suam debent originem, & proinde variis subdivisionibus locum relinquunt, *Actiones* etiam diversimode dispesci posse monemus. Sistuntur illae nobis in Codice S. vel ut *praeceptae* aut institutae, vel recensentur ut *factae*, vel praedicuntur ut *futurae*. Dantur etiam, si causam efficientem respiciamus, Actiones vel *hominum* vel *Dei*; illae rursus sese nobis offerunt vel ut bonae vel ut malae: inde *Virtutes typicae*, hinc *peccata typica* locum habere possunt. De quibus posterioribus supra laudata Cl. BVDDEI Differentio conferri meretur. Vtriusque generis exemplum quaerunt nonnulli in filiorum Noachi, unius quidem nuditatem Parentis detegentis, reliquorum obtegentium, actionibus; vel in Esavi & Jacobi, jus primogeniturae vendentis & ementis, factis: quae si quid typici illis inesse concedatur, facile applicari possunt. Quemadmodum vero jam istae duplices hominum operationes ad duplex Judicis supremi officium revocantur; ita quoque ex hoc foro nova *Actionum*, *divinarum* nempe, diversitas oritur. Quodsi enim vindicta Dei malitiam hominum hujusmodi poenis coerceat, in quibus amplius quid atque sublimius sit praefiguratum, inde *poenae typicae* proveniunt, ex quibus judicia Dei in Babelem, Aegyptum, aliosque Israelitarum hostes attigisse (b) sufficiat. Quando vero infinita Dei bonitas vel omnes hominum actiones benefaciendo antecedit; vel ipsius misericordia miseris etiam subvenit; vel Gratia ejusdem obedientiam praemiis afficit: nosque in illis Dei actionibus sublimioris alicujus Beneficii imaginem & praefigurationem deprehendimus, *Beneficia typica* vocamus, quorum in sequenti tractatione varia occurrent exempla.

§. IV. Via

(b) Meditationes nonnullas huc pertinentes B. I. H. MAII Oeconomia Judiciorum divinarum suppeditare potest.

§. IV.

Via nunc ad scopum nostrum strata, rei ipsi propius accedimus, & quid sint beneficia typica, & quotuplicia, quis in evolvendis illis sit notandus usus & abusus, & quae sunt reliqua, dispicimus. Quod ad primum attinet, per beneficia typica intelligimus talem *actionem Dei gratiosam, qua infinita ipsius sapientia, per bonum aliquod externum, hominibus vel singulis vel pluribus in Vetere Testamento concessum, majus bonum spirituale & Novi Testamenti a Spiritu S. expresse vel tecte indicatum, repraesentare voluit.* Qua quidem notione nunc suppeditata statim devolvimur ad varietatem horum beneficiorum designandam. *Duplex vero fundamentum partitionis* hic nobis offertur observatu dignum; quorum prius eo tendit, ut ex eo, quod diximus, bona fuisse hominibus vel singulis vel pluribus concessa, concludere necessum habeamus, dari beneficia typica *particularia & universalialia.* Et haec amplitudo & restrictio nunc in typo, nunc in anti-typo, nunc utrinque sese exerit. Familia Noachi paucis, h. e. octo personis constans, & ex undis diluvii salvata, imago est totius Ecclesiae per aquam Baptismi salvandae. Beneficium individuale Jonae, ex faucibus piscis erepto, exhibitum, respondet individuali, quod ipsi Messiae, licet modo longe perfectiori & excellentiori, obtigit. Saepius observamus Beneficia quaedam, ex intentione Dei universalialia, per ordinem simul constitutum restringi, quoad actualem exhibitionem, ad eos, qui ordini praescripto insistant. Serpens aeneus omnibus per venenatos serpentum morsus laesis propositus erat; ita tamen, ut ii demum, qui intuerentur eundem, sanarentur. Israelitas ex Aegypto migraturos a plaga, Angeli vastatoris primogenitos interficientis, liberos voluit Divina benignitas; sed eo simul praescripto ordine, ut agni paschalis sanguine postes signarent. Quorum omnium applicatio ad Beneficia spiritualialia in Christo, omnibus ex intentione Dei oblata, sed nonnisi in ordine fidei actu obtinenda ab hominibus, facillima quidem, non tamen usu suo insigni destituta est. Plura igitur

igitur ad hanc priorem, beneficia typica distinguendi rationem dicere omittimus.

§. V.

Majoris momenti est *secunda* divisio, quae beneficia typica varia nobis sistit, pro diverso notitiae certitudinis aut convictionis gradu, quem ratione typicae adumbrationis, genuinae ad suum antitypum applicationis, & tertiorum comparationis rite evolvendorum habere possumus. Hic enim, quod & generatim in tota typorum doctrina usum suum habet, *tria* illorum *genera*, tres ordines, constituere nobis liceat. Ad *primum* pertinent ea, quae sunt propriissime talia, in Novo scilicet Testamento ab ipso Spiritu S., ut beneficia typica, ita indicata, ut eorum non tantum antitypus, sed & tertia comparationis quaedam aut praecipua, simul expressa deprehendantur. Sic v. g. Christum per Agnum Paschalem, per Serpentem aeneum in deserto erectum, per Jonam in piscis ventre detentum, praefiguratum fuisse, non tantum aperte indicavit Spiritus S. sed & quosdam comparationis nervos, ad quos prae reliquis sit attendendum, & a quibus, fundamenti loco positus, ad cognatos concludere liceat, luculenter suppeditavit. *Secundi* ordinis generisque typos illos nominamus, quorum ratio typica, vel antitypus quidem a Spiritu S. ipso insinuat, vel nomen typi antitypo imponendo, vel per allusiones & comparationes, non obiter aut simplici vice, sed data opera & saepius factas, vel signis aliis non adeo obscuris aut contemnendis, evolutione tamen tertiorum comparationis industriae & scrutinio lectoris relicta: Quorum spectat Institutio Sabbati, item quando Christus Davidis nomine venit, quando vita aeterna atque coelestis Paradisus vocatur, quando Paulus, integro cultus Levitici apparatu distincte enumerato, per praeteritionem subjungit, (i) se de his omnibus distinctius differere nolle. *Tertium* denique genus typorum & beneficiorum typicorum est eorum, quae citra distinctiorem Scripturae indicationem, ex comparatione

B

ne

(i) Heb. LX. s.

ne rerum & factorum, ex praedicatorum utrinque occurrentium collatione, secundum Analogiam fidei, per piam sobriamque meditationem eruuntur; ut cum e. g. Josephum post adversa fata exaltatum, Messiae in statu exinanitionis & exaltationis considerati, ereptionem Lothi ex urbe Sodoma, liberationis divinae a pollutionibus mundi typum esse dicamus.

§. VI.

Ex his vero allatis cuilibet colligere pronum erit atque proclive, quae in consideratione, uti Typorum in genere, ita speciatim beneficiorum typicorum, interpreti Scripturae sint observanda, siquidem debita attentionis atque modestiae limites migrare nolit. *Primum* officium, attentio & diligentia in scrutinio Scripturae ipsi praescribit, ut ne hujusmodi indicationes Spiritus S. quibus tam insignia Sapientiae divinae vestigia nobis signantur, plane negligat aut temere praetermittat. Vti in aurifodinis, ita in Scripturae quoque scrutinio ab optimo Servatore (*k*) nobis injuncto, praestantissima saepe latent, & certis indiciis manifestata, labore debito eruenda sunt. *Alterum* officium modestia & veneratio injungit, ut ne nostras cogitationes cum Spiritus S. virorumque Θεοπνευστων indicationibus temerario ac imprudenti ausu permisceamus. Quae enim humano hic studio eruuntur, illis humani errores, uti auro & metallis scoriae, plerumque adhaerere solent, & adhibita δουλοπαιας studio ab iisdem separari debent. Proinde differentia, quae ratione applicationis typorum ad antitypos, nostraeque de illa convictionis, modo memorata est, diligentissime observanda videtur. Quae primi ordinis sunt, ad ipsum Scripturae sensum, plenum, a Spiritu S. intentum, pertinent, consequenter solidam in veritatibus confirmandis, illustrandis aut vindicandis etiam habent efficaciam, quatenus tertia comparationis expresse sunt indicata. A quibus, si humana intercedente opera, ad alia, quae in typo atque antitypo convenientiam habere videntur, concludamus, non licitum istud tantum, sed & utile erit;

(*k*) Job. V. 39.

erit; modo ne his nostris humanis applicationibus eundem certitudinis gradum adscribamus, nisi nexus & habitus ad indicationem a Spiritu S. factam arctissimus sit & prorsus necessarius. Majori adhuc circumspectione opus est in iis, quae ad genus ordinemque secundum relata sunt; ubi insinuatio quidem generalis adest, latere aliquid typici, non vero exprimitur antitypus, aut hoc etiam paucis indicato, nullus tamen comparationis nervus signatur. Quo plura hic pii Scrutatoris industriae relinquuntur, eo majus est periculum errandi, eo minor convictionis & certitudinis gradus, eo circumspectior adhibenda est cura atque modestia. Tertiū generis ordinisque typica magis ad sensus applicationem, quam ad sensum ipsum pertinere videntur; ubi quidem piaē interpretis cogitationes tum demum calculum approbationemque merentur, quando citra tortuosos ambages, sine taediosa coactione comparatio instituitur, & ad Scripturae fideique analogiam solícite examinata, exactissime convenire deprehenditur. Caeterum quaecunque observationes aut regulae circa typorum explicationem a B. GLASSIO aliisque traditae sunt, etiam hic in speciali Beneficiorum Typicorum evolutione applicari posse atque debere, etiam nobis non momentibus, manifestum est.

§. VII.

Vt haec luculentius pateant, signabimus paucis scopulos, quibus non evitatis, ad extrema vel excessus vel defectus delabi pronissimum est atque frequentissimum. Et *deficiunt* sane, qui in Scriptis Vet. Test. in Libris Moſis & Prophetarum, Christum atque Gratiam Evangelicam vix unquam deprehendere sibi videntur. Si hos audias Interpretes, (l) Prophetae de Christo sensu literali rarissime locuti sunt. Promissiones populo Israëlitico factae, Beneficia ipsis exhibita, Bona illis concessa, mere temporalia sunt, (m) hujus tantum vitae felicitatem concernunt, &

B 2

de

(l) GROTIVM hunc interpretandi modum elegisse, notum est, quem proinde saepius in viam reducere laboravit B. CALOVIVS.

(m) de Socinianis & Anabaptistis vetustioribus huc tendentibus conferri potest B. QVÆNSTED. Syst. T. IV. c. 7. ii. CHEMNITIVS LL, T. III. de discrimine V. & N. T.

de spiritualibus vel nihil plane, vel umbram vix tenuissimam continent: Leges ac ceremoniae (z) ex imitatione potius gentium vicinarum, praesertim Aegyptiorum, ad concedendum aliquid per *συγκριταβασιμ* Populo ad superstitionem prono, non vero, vel certe vix secundo, ad praefiguranda Bona Christi spiritualia a Deo datae & institutae sunt. Nobis alia mens est, & haec ad extremum, idque maxime periculosum, tendere videntur. Potior nobis est autoritas Petri imo Spiritus S. asserentis (o) non rara sed frequentissima de Christo esse Prophetarum testimonia, itemque Pauli, (p) qui ritus legales eum ad Christum nexum habitumque tenere pronuntiavit, quem ad corpus umbra habet. Beneficia vero spiritualia, Patribus Veteris Test. obtigisse credimus, quia eadem Christi gratia salvati sunt, qua nos; & ipsa temporalia multa, imaginem simul spiritualium fuisse, exempla plurima, infra ex parte commemoranda, evincunt.

§. VIII.

Sed praeter hos, quos notavimus, & alii in defectu peccare multis videntur, qui nempe illud typorum genus, quod tertium supra vocavimus, (*illatos* alii nominant) absolute negant, aut interpretibus *αθεοπνευστοις* tales, quorum ab ipso Spiritu S. expresse nullum sit factum indicium, proprio studio ex re ipsa eruendi facultatem concedere recusant. Ita plerumque hujus aberrationis accusatur GVIL. SALDENVS, qui in Tr. de Typorum V. T. usu & abusu (q) ad hoc extremum fuerit delapsus. Dudum vero S. Rev. BVDDDEVVS (r) omnem de voce litem esse observavit. Licet enim Celebris ille Reformatae Ecclesiae Doctor hinc inde statuatur, se per typum illud tantum intelligere, quod res aliquas Christi praesignificat, tum fidei tum pietatis promotioni inservientes, & ex hoc fundamento omnia peccata typica, & quicquid de praefiguratis in V. T. hostibus Ecclesiae, & Anti-Christo quoque

(n) Videantur quae contra *MARSHAMVM* monuerunt *H WITSIVS* in *Aegyptiacis*, & contra *SPENCERVM* praeter alios *D. D. BVDDDEVVS* in *Hist. Eccles. V. T. T. I. p. 669. seqq.* (o) *Aët. X. 43.* (p) *Col. II. 17.* (q) insertus est *Otiis Theologicis*, ibique *L. II. Exerc. III. locum obtinet.* (r) *in Diff. de Pecc. Typicis,*

vero, a quibus typi quidam desumuntur, habent jam sensum suum, neque necessario ad complementum aliquod in antitypo quaerendum cogunt. Deinde vis significativa in vaticiniis ad complementum applicanda verbis adhaeret, & ex usu eorum frequentè innotescit; quae autem in quibusdam factis aut factorum circumstantiis ad complementum antitypi sint referenda, ex sola & libera voluntate DEI pendent. Haec nisi nobis innotescat, ignorabimus, an actio aliqua, jam facta, sit typica, & quid in illa tertium comparationis constituat. Vnde nobis haec Dei voluntas vel a priori indicari debuit, vel a posteriori colligenda est. Si a priori, vel de certis actionibus speciatim illud notatum sit, vel de actionum quarundam toto genere, ubi v. g. in ritibus leviticis subsumentio ad species fieri facile potest; tum typos primi secundique ordinis habebimus. Si a posteriori, ad similitudinem, quae venditato typo cum suo antitypo intercedit, provocatur, ipse WITIVS (u) non admittit, similitudinem quamvis ad typum suffice- re. Postquam enim ad Plutarchi Comparationes Illustrium Graecorum cum Romanis provocaverat, ex quibus nemo possit colligere, Viros illos praestantes a DEO datos esse Graeciae in typum eorum, quos ad Rom. Reipublicae ornamentum olim excitare destinaverit; paucis interjectis apposite certe concludit: *nihil quidem alterius rei typus est, nisi quod cum ista re similitudinem habet. At non ubicunque est similitudo, ibi est ratio typi, quae non aliunde nisi a divina institutione pendet.* Et inde recte infert: *ut sciamus, aliquid typi rationem habere, necesse est, vel DEVM id diserte de ea re testificatum esse; vel de aliquo rerum genere declarasse, sub quo res illa uti species comprehenditur; vel manifesta verborum allusione alterum ad alterum referre; vel argumentatione sua tacite saltem id innuere; vel denique ea de re aliqua praedicere, quae quoad literam, & uti verba sonant, in ista re non implentur, quorum idcirco implementum in re quidem diversa, sed quae ei rei, de qua primum dicta sunt, respondeat,*
sit

(u) de Sensu Epistolarum Apocalypt. T. I. Miscell. L. III, c. 3. S. 53. 54.

sit quaerendum. Vnde certe patet, studium interpretis typici, in iis, quorum indicium Spiritus S. quocunque modo fecit, maxime occupari debere, & abunde reperturum esse, quae agat; tertium vero typorum genus, siquidem lubeat hujusmodi comparationibus inhaerere, (quas tamen, si recte & sobrie instituantur, non omni usu destitui arbitramur,) prioribus nullo modo aequandum aut plane permiscendum, sed potius longissime postponendum esse.

§. X.

Vnde & de altero, quoad *excessum*, extremo, in quod frequens nonnullis est lapsus, facile judicari potest. Huc enim referendum sine dubio est, quando quidam in omnibus Historiae V. T. factis typos quaerunt; quando in applicatione ad antitypum, & speciatim fata Ecclesiae N. T. ad particularia, hoc loco, hoc tempore, sub his circumstantiis facta, descendunt, quibus typum praelulisse non sine manifesta saepe coactione asserunt; quando omnium & minutissimarum circumstantiarum, in typo rationem habendam esse arbitrantur; quando denique haec omnia & plura alia non pro accommodationibus humanis, sed pro ipsa divina mente, pro ipso Spiritus S. sensu venditant, & quae sunt similia alia. Familiaria haec esse nonnullis Typorum interpretibus, qui COCCHEI hypothesebus atque vestigiis sibi insistere videntur, praeterquam quod nemini fere non constet, vel recentissimis specimenibus comprobari potest, quae ANT. van DRIESSEN, Ecclesiastes tunc temporis Rheno-Trajectinus, postea Acad. Groninganae Doctor celebris, & BERNHARDVS SEBASTIANVS CREMERVS, Doct. & Prof. Theol. Harderovicensis ante paucos annos ediderunt. Ille enim in *Diatribae de principiis & legibus Theologiae emblematicae, allegoricae, typicae & propheticae* (x) caput aliquod, nempe III. de typico studio inscripsit; in quo

(x) edita est Trajecti ad Rhenum a. 1717. in 4. excerpta dederunt Celeber. Collect. Aët. Erud. a. 1717. p. 342. seqq. ubi quidem non dissimulant, hujusmodi lusus ingeniorum non tanti aestimari nostratibus Theologis, quanti fortasse aliis.

quo non modo totum cultum Mosaicum typicum fuisse, sed & omnem historiam sacram Veteris Testamenti rebus spiritualibus praelusisse, probare conatur. Alter vero in *Prodromo Typico* (y) totam Veteris Testamenti historiam sacris literis comprehensam, esse typicam statuit; nec enim causam allegari posse, cur, cum verbi gratia exitus ex Aegypto sit typicus, non item introductio in Canaan; cur introductio in Canaan & non confirmatio sub iudicibus, & ita porro. Eam ulterius idem Auctor inter typos legales & historicos constituit differentiam, ut illi habeant usum quodammodo generalem, aut universam spectantem Ecclesiam, totamque fere systematicam theologiam contineant; hi particulares tantum delineent casus, aut illius istiusve temporis fata depingant. Ita sacrificia in genere, Christi vel fidelium sacrificium delineare, Paschatis leges mysterium nostri agni paschalis describere. Sed de Sacrificio a Samuele oblato & victoriam contra Philistaeos promovente 1 Sam. VII. de Paschate tempore Josiae, item Hiskiae celebrato, aliter esse pronunciandum; haec respicere singularia tempora, imo singulare cujusdam temporis factum adumbrare. Improbat tandem inter reliqua, quod alii in typis explicandis, praeterquam quod longe plurimas circumstantias non attingant, nescio quos saltus committant, atque materiam typicam *υπερον προτερον* tractent; quod e. g. in historia Simsonis Interpretes, ubi ad Antitypum res redit, factum illud, quo cum tribus mulieribus rem habuisse dicitur, adeo negligant, & has historias ita inter se confundant, ut nihil supra; unde ipse totam historiam Simsonis ad mentem suam evoluturum se esse promittit.

§. XI.

Quantamcunque vero haec & plura hujusmodi alia felicitatem ingenii & ubertatem doctrinae ostentent, nobis ab excessu extremo parum abesse, imo periculo quoque non carere videntur. Praetereo nunc, quæ de circumstantiarum omnium in
 type

(y) prodit Amstel. A. 1721. recensioem vid. in *Suppl. Act. Erud. Lips.* T. VIII. Sect. I. p. 8. seqq.

typo occurrentium applicatione necessaria urgentur; cum tamen inter omnes constet, nunquam typum antitypo tam adaequate respondere, quin in alterutro alia plura saepe deprehendantur; cum ipse Paulus θεοπνευστος, sacerdotum & sacrificiorum typum ad Christum ita retulerit, ut circumstantias, infirmitatem inferentes, removeret; Quinimo peccata & errores Davidis, Ionae, Simsonis, (siquidem is inter typos proprie tales sit referendus, de quo tamen Scripturam nullum fecisse indicium arbitramur) vix sine impietatis crimine, aut suspicione certe, ad Christum applicari, aut torqueri potius, possint. Taceo, quae de typorum, historicorum praecipue, relatione ad temporis aut casus alicujus, vel ad Ecclesiae fata pertinentis specialissimi antitypum facienda, momentur; cujus tamen neque in Scriptura, neque in re ipsa fundamentum aliquod solidum occurrit, unde &, quae hucusque prolata sunt exempla, vix se probabunt iis, qui simplicitatem divinam ingeniosis hujusmodi detorsionibus praeferre malunt. Haec forte ad scopum nostrum specialem non tam necessaria esse, quam quidem ad Tractationem de Typis generaliore pertinerere videbuntur. Illud vero magis nos tangit, quod omnis historia V. T., & consequenter omnia Beneficia divina ibi descripta, typi rationem habere asserant Viri eruditissimi. Haec excessum nobis sapere videntur. Neque sufficit, nullam dari rationem posse, cur una historiae sacrae pars typum continere debeat, altera minus. Quamvis enim, quae arctissime inter se connexae sunt, historiae alicujus partes, nexum aliquem typicum admittere forte quandoque possint; uteductio Israelitarum ex Aegypto, introductio in terram Cananaeam, &, quae intermedia est, circumductio per desertum: talis tamen nexus inter facta antecedentia & consequentia non semper deprehenditur. Neque, quia ex parte factorum nihil obstat, quo minus rationem quoque typi habere potuerint, colligere nobis statim integrum est, quod DEVS voluerit etiam illa ad typice aliquid adumbrandum adhibere. Voluntatis hujus divinae rationes, cur in hoc facto typum constituere voluerit,

C

rit,

rit, in altero noluerit, nec postulare neque reddere semper possumus; indicia vero quaedam, quod voluerit, jure desideramus. Si ad ipsam convenientiam facile eruendam rursus provocant; illam saepe tantam non esse, quanta videtur autoribus, feliciori quandoque ingenio praeditis, multis constare potest exemplis. Sed praeterea, eandem non sufficere, ipse COCCEIUS (z) aperte professus est: *Si Scriptura, inquit, non indicet, debere nos in re una cernere imaginem alterius, etiamsi res diversae a Scriptura explicatae similitudinem & conformitatem aliquam habeant, non possumus tamen asserere, hoc illius typum & figuram esse, nisi, quatenus illa conformitas ex Scripturarum comparatione demonstratur. Qua quidem demonstrata patescit DEI sapientia; sed sine ea demonstratione temerarium est, a rei praecedentis, tanquam typi, forma ad rei sequentis formam argumentari.*

§. XII.

Quinimo immoderatum hoc typos & allegorias ubique in Scriptura sectandi, hominumque accommodationes, nunc commodas nunc coactas, cum ipso sensu divino permiscendi studium periculo non carere arbitramur. Atque initio quidem latius semper serpit, & a paucis speciminibus ordiendo, totam fere Scripturam pervagatur, ita ut vix illa quidquam ambitu suo contineat, quod non confestim mystice, typice, allegorice simul explicandum quibusdam videatur. *Parabolas* Christi sublimius quid spectare, quam literae cortex proponit, in confesso est apud omnes. Illud vero non omnibus forte probabitur, omnes omnino esse propheticas, & statum Ecclesiae, certamque ejus periodum aut casum specialissimum determinate praefigurare. Et tamen sunt, qui arbitrantur, indignum fere esse Christi sapientia, si e. g. in Parabola de servo debitore, Matth. XVIII. in applicatione generali & morali, quam tamen & occasio antecedens, & epilogus ab ipso Christo subjunctus confirmant, subsistamus. Cogitandum etiam esse de speciali, cujus complementum historia suppeditet. Praefigurari

(z) in Jerem. XXII. 8.

figurari Episcopum Romanum, qui ad rationes reddendas, primum per barbarorum irruptiones, postea specialius per Concilia. Pisana & Constantiense, ipsamque denique Reformationem citatus, res suas ita, simulato emendationis studio, disponere poterit, ut in Concilio Tridentino, & quidem ab ipso Domino (mirum dictu!) omnia ipsi remissa viderentur; & quae sunt reliqua (a). *Miracula* Christi in N. T. descripta simili ratione significatum mysticum habere, quidam (b) sibi persuadent. Exemplo sit illud, quod describitur Matth. VIII. 23. Terram Gadarenorum, quae partem Decapoleos constituebat, adumbrare regnum Anti-Christi, ex decem regnis constans, & in ipso Ecclesiae externo territorio erectum, licet ad illius haereditatem proprie non pertineat. Daemoniacum esse imaginem turbae papalis, quae Christum, licet corde abneget, ore tamen confiteatur & adoret. Eundem Christo obvenientem liberari: ita Reformatores, quamvis Papa se opponeret, multos tamen Papismo liberasse. Qui vero post reformationem erroribus Papaeis tenaciter adhaerint, per porcos repraesentari, praecipitandos in mare iudiciorum divinorum. Eadem ratione ipsi *historiae Evangelicae*, de Christi *passione, sepultura, resurrectione & in coelum reditu*, typicos subesse atque emblematicos sensus. Superfunt Epistolae Apostolicae, quas communi hucusque consensu de *dogmaticis* atque *moralibus* agentes ita explicandas esse censuerunt Interpretes, ut sensu literaliter eruto, acquiescendum sibi esse arbitrarentur. Sed & hic sensum magnam partem *propheticum* adhuc investigandum DRIESENIVS credit. In tota *Epistola Johannis prima*, cu-

C 2

jus

(a) v. *CAMP. VITRINGA* Erklar. der Parabol. §. CV. ad Matth. XVIII. v. 23. seqq.

(b) v. *DRIESEN* in *Diatrise* supra citata p. 117. ubi simul aliam rejicit cuiusdam Interpretis de hoc miraculo commentationem, quam ipse ingeniosam vocat, qui in hoc daemoniaco, uti in imagine expressissima, deploratissimum gentilium statum pingi existimaverat, ita tamen, ut Christus per Evangelii praeconium daemonia e gentilismo eiecerit, & porcorum gregem, impuros Judaeos incessere permiserit, qui Judaei in mare gentilismi praecipitati fuerint.

ius commentarium mysticum (c) dedit, graphice depingi Ecclesiam Pontificiam ac Reformatam. Ecclesiam Papaeam esse mundum, qui C. II. v. 15. non sit diligendus; eandem dicere, se peccatum non habere C. I. v. 8. Sed non immorabimur hisce diutius, quae, quamvis ad incrementa nostrae cognitionis in rebus divinis & Scripturae sensu, tendere quibusdam videantur, non solida tamen sunt, sed fere periculosa. Testatur certe experientia, multisque tum antiquiorum tum recentiorum interpretum exemplis comprobatur, immoderata hac sensus allegorici & mystici investigatione ubivis tentata, sensum literalem, fundamentalem ac solidum, primum quidem praemissum, mox quasi subordinatum, denique pene neglectum fuisse ab illis, qui Codicem S. explanare constituerant. Parum etiam abest, quin ita Scriptura S., & veritates theologicae illi innixae, adversariorum ludibrio & contemptui exponantur. Non tempero mihi, quin ea, quae WITSIUS (d) dudum inculcavit, COCCEII, ni fallor, verba, denuo hic appingam: *Similitudines ab hominibus excogitatae non probant: ubi Scriptura mores format, aut facta narrat, ad allegorias convolare, non est solidum. Quando mysterium didicimus, ex verbis mysterium testantibus, id satis esse debet. Eo demonstrato, ex historiis, propter aliquam similitudinem, figuras & allegorias facere, parum juvat vel fidem vel intelligentiam. Suspectos se faciunt, qui illis dediti sunt, quasi solidis demonstrationibus destituantur.* Et ob signo denique, quae dicta sunt, gravibus B. LV-THERI verbis: (e) *Saepe testatus sum, me valde abhorrrere ab allegoriis, & damnare earum studium — — Hortor itaque studiosos theologiae, ut fugiant hoc genus interpretationis in S. literis — est enim allegoria tanquam formosa meretrix, quae ita blanditur hominibus, ut non possit non amari, praesertim ab hominibus otiosis, qui sunt sine tentatione. Tales putant, se in medio Paradisi & gremio Dei esse, si quando illis speculationibus indulgent.* -- --

Ego

(c) p. 150. Diatribes jam citatae. (d) Miscell. S. T. I. L. III. c. 4. §. 130.
 (e) ad c. 30. Gen. T. III. p. 672. -- 676. edit. in 8vo.

Ego itaque odi Allegorias. Si quis tamen volet iis uti, videat, ut cum iudicio eas tractet. --- Consentiat allegoria cum historia, & super hanc, velut fundamentum aedificetur gemma, aurum, argentum. Alioqui perniciofa est allegoria, & tantum errores parit, vel si est optima, merae sunt stipulae & ineptiae merae. Prolixior locus est, quam ut totus exscribatur, meretur tamen in connexionem legi atque expendi.

§. XIII.

Praeter hunc denique, qui ex confusione cogitationum humanarum cum indicationibus divinis oritur, abufum, alius nobis, fed paucis tantum, notandus fupereft, quando nempe beneficiorum typicorum, aut typorum etiam in genere, applicatio inftituitur ad dogmata erronea, & ab analogia fidei atque Scripturae maxime aliena, confirmanda aut fuffulcienda. Quod, praeter tertii ordinis typos five accommodationes, etiam in priorum generum typis contingere poteft, ubi ad indicationem Spiritus S. generalem, antitypus fpeciatim quaeritur; aut tertiis comparationis, in Scriptura jam fuppeditatis, alii plures convenientiae alicujus nervi fubjunguntur. Ibi enim, fi a veritate jam recefferint, & praefudiciis quibusdam imbuti fint animi, analogiam quandam fidei, aut errorum potius, ab analogia Scripturae diverfam fibi formant, qua adhibita perversiffima norma, in typorum applicatione, quandoque etiam explicatione, non poffunt non turpiter hallucinari. Faciunt id Pontificii, cum facrificia (f) Veteris Testamenti, quam maxime vero panis & vini a Melchisedeco factam prolationem, quam oblationem ipfi interpretantur, typos Miffatici fui facrificii fuiiffe audacter perhibent; aut omnem cultus Levitici apparatus, contra omnem rationem cultus ad Oeconomiam N. T. pertinentis, ad hierarchiam & εἰεροθερηκειαν fuam comprobendam per-

C 3

verfe

(f) Allegant & jure facrificium, quod ficut in lege fuit jure facrificium, ita Miffa debeat effe jure facrificium Novi Testamenti. Bene cum adverfariis agitur, fi patimur nos vinci allegoriis. Conftat autem, quod allegoriae non pariant firmas probationes. Ita Apologia Aug. Conf. ad ant. de Miffa pag. Libr. Norm. Norib. 464.

verse adhibent. Praeter ipsos vero, aeterni Evangelii quoque praecones in eo versantur, ut falsas suas hypothese non tantum dictis Scripturae, sed & typis eo detortis suffulciant. Persuasum enim ipsis est Sabbatum cessationis anno septenario institutum, & annum magnum jubilearem, (g) typos fuisse ἀποκαταστάσεως adhuc expectandae, ita quidem, ut per illud status beatorum sub regno Christi millenario, per hunc vero futura redemptio & quies ipsorum Daemonum praefigurata fuerint. Sic enim (h) verba, quae in amplioribus PETERSENII scriptis saepius repetita & de novo inculcata leguntur, habent: *Es sind in dem Hall-Fahr sehr grosse Tieffen vorgebildet, als darinnen sieben Ruh-Fahr enthalten, da das Ruh-Fahr auf die tausend Fahr sein Abbild hat, so das siebende grosse Welt-Fahr, und der rechte Sabbat und Ruh-Fahr seyn vverden. Das Hall-Fahr aber, das sieben solche Ruh-Fahr in sich fast, stellt vor die Ewigkeiten der (bestimmten) Ewigkeiten, so Apoc. XX. 10. XXII. 5. benennet sind. Et pag. 85. Gleichwie auf das Ruh-Fahr mehrere Ruh-Fahre folgten, bis sie alle sieben erfüllet, und das Hall-Fahr folgte: Also sind auch die aneinander folgende Ewigkeiten durch diese Ruh-Fahr vorgebildet, - bis das 50000. Fahr erfüllet sind, da ein jeder wieder zu seiner Haabe, und zu seinem Geschlecht kommen vverird, da der Engel wieder sein Fürstenthum erlangt unter seinem Haupt Christo Jesu &c.* Ita αἰῶνες τῶν αἰῶνων, qua phrasi ipsa aeternitas Dei in Scriptura exprimitur, nunc ex hoc typo ad periodum 50000. annorum rediguntur. Quemadmodum vero reliqua erroris fundamenta, dudum jam solide everfa esse satis constat, ita, quod ex typo hoc precario & sine ulla Spiritus S. indicatione petitur, non firmiter esse, cuilibet patere potest. Nobis enim diutius his immorari non licet.

§. XIV.

Redeundum potius nobis est, & cum tantos abusus a transgressione limitum provenire videamus, revertendum ab istis deviiis,

(g) de quibus Levit. XXV, (h) im ewigen Evangelio p. 80. ff. 81.

viis, ut sobrium usum, ex distinctione beneficiorum typicorum supra tradita, in ipsa praxi observemus. Vbi quidem in transitu de ordine, quo selecta eorundem exempla proponere conveniat, deliberantibus occurrit ipsa illa jam memorata in tres ordines typicorum beneficiorum distinctio, quae exemplis etiam ordinandis inservire posse videbatur. Relinquimus vero illud fundamentum ordinis, quoniam hac ratione multas actiones DEI beneficas, quae propter circumstantiarum amplitudinem in tria illa genera quandoque simul incidere possunt, vel disjungere, vel unam rem saepius repetere necessum haberemus. Alia nobis offerri poterat methodus, ab antitypi distributione, & toto Systemate bonorum spiritualium Evangelii desumpta. Sed & haec, prout ipsum Christum, omniaque beneficia, cum Ipso toti Ecclesiae & singulis fidelibus oblata, latissima sua extensione complectitur, ampliori potius Tractationi convenire videtur, cui vero brevis haec Dissertatio, exempla tantum quaedam tradens, non respondet. Temporis itaque rationem habebimus, & beneficia typica praecipua, pro ea, ac in Codice sacro recensita inveniuntur, serie, selecta pertractabimus, ita enim, & prolixitate & confusione evitatis, scopum nostrum in explicandis & applicandis typis commodissime poterimus obtinere.

SECTIO POSTERIOR
SELECTA EXEMPLA BENE-
FICIORVM TYPICORVM
EXHIBENS.

Σ Τ Ν Ο Ψ Ι Σ.

- | | |
|---|--|
| <p><i>Productio lucis ex tenebris ingens beneficium, ex historia hexaëmeri selectum.</i>
§. I.</p> <p><i>Typus est illuminationis spiritualis.</i> §. II.</p> <p><i>Sabbatum in hominum usum institutum.</i>
§. III.</p> <p><i>Typus quietis spiritualis & aeternae.</i>
§. IV.</p> | <p><i>Conservatio familiae Noachi per aquam diluvii.</i> §. V.</p> <p><i>Praefiguravit aquam Baptismalem, Ecclesiam salvantem.</i> §. VI.</p> <p><i>Liberatio Hebraeorum a servitute Aegyptiorum, imaginem ereptionis e regno tenebrarum & servitute Diaboli praeseferi.</i> §. VII.</p> |
|---|--|

Praetervitio

Praeteritio Angeli vastatoris, per matum & comestum agnum paschalem parta, ablatam iram divinam, & vim mortis, oppressam, per matum & manucantum Christum, indigitat. §. VIII.

Transitus per mare, & praesidium ex columana nubis & ignis redundans, iterum Baptismum & Christum, fidelium praesidium, delineant. §. IX.

Manna & aqua petrae, Israelitis concessae, Christum, panem & aquam vitae fuisse, ostendunt. §. X.

Sanatio ex intuitu Serpentis aenei expectanda, fructus fidei in Christum depingit. §. XI.

Introductio in terram Cananaeam, & distributio ejusdem, ad introitum in regnum Christi, gratiae & gloriae, variaeque in eo dona applicatur. §. XII.

Soluta captivitas Babylonica confertur cum cessante tyrannide hostium Ecclesiae spiritualium. §. XIII.

Votum Dissertationi coronidem imponit. §. XIV.

§. I.

INitium ergo omnium rerum, etiam in hac materia nobis initium esto. Primum, maximeque illustre suae Bonitatis infinitae specimen exhibuit Summum Numen, producendo ex nihilo Coelum & Terram, & omnia, quae in ipsis deprehenduntur. Latere vero in Creationis beneficio, & expositione Hexaëmeri Mosáica, aliquid typici, multorum, tum ex antiquioribus, tum ex recentioribus, (a) est sententia. Certe (b) AVGVSTINVS, totum hunc sermonem, primo, secundum historiam discutiendum esse, deinde secundum Prophetiam; secundum Historiam facta narrari, secundum Prophetiam futura praenunciari, arbitratur. Applicat etiam omnem recensionem, nunc (c) quidem ad sex mundi aetates operosas, post quas in septima requies speranda sit; (in quo applicandi modo plures ipsum sequuntur,) nunc (d) vero etiam ostendit, quomodo in microcosmi restitutione mysterium creationis sese exerat, ubi unusquisque in bonis operibus & recta vita, tanquam sex dies distinctos habeat, post quos quietem sperare debeat. Quam posteriorem applicandi rationem

(a) pertinent huc Job. Henr. de SCHOENAV Betrachtung über die geheime Fürbilder der sechs Tage der Welt-Erschaffung, und des siebenden Tags der Ruhe &c. it. G. van der MELEN Futurorum per signa temporum investigatio & plures alii; v. in comp. I. H. MALL Oecon. temp. V. T. c. I.

(b) L. II. c. 2. de Genesi contra Manichaeos. (c) L. I. c. 23. (d) cap. 25.

rationem LIGHTFOOTO (e) quoque placuisse videmus, qui, postquam plura hanc in rem protulerat, in compendio denique adductum fere & imitationem 2. Pet. I. inquit: *Adjicite vestro cognitionis lumini firmamentum fidei, fidei vestrae maria lachrymarum poenitentiae, lachrymis felices arbores honorum operum, operibus bonis aestum zeli, zelo alatas aves precum & contemplationis, & ecce omnia facta sunt nova. Ecce facti eritis nova Creatura!* Sunt haec specimina applicationum humanarum. Nobis, ut de indicationibus Spiritus S. solliciti simus, quam maxime consultum esse videtur. Et deprehenduntur sane in utriusque Testamenti libris plura loca (f), quibus *prima creatio* quasi exemplar sistitur *creationis secundae*, aut certe, praecipua restitutionis nostrae ratio, phrasibus a prima creatione desumptis, exponitur; quae, quia saepius continuata, & varie quandoque immutata occurrunt, vulgarem aliquam allusionem fere superare, adeoque indicium aliquod, non plane contemnendum, alicujus typi suppeditare videntur. Praecipue vero, quae de *Luce*, primi diei opere, moneri solent, luculenta esse, atque, reliquis nunc quidem missis, attentionem aliquam mereri, arbitramur. Cum enim omnia inania & vacua, nec nisi tenebrae essent, lucem ex tenebris productam fuisse legimus. Non curamus nunc eas, quae Eruditis intercesere Disputationes de hac creatione lucis, utrum inter tenebras jamjam latuerit, at prodire tantum a Deo iussa sit, an vero nubes lucidae redditae sint, & quae sunt reliqua, de quibus Interpretes si lubet, & in compendio POLVS (g) consuli possunt. Nobis sufficit, primum omnia tenebris sepulta jacuisse, & ex illis demum lucem a summo Creatore evocatam fuisse. Beneficium hac illuminatione hominibus esse collatum, nemo, nisi cujus menti tenebrae obductae sunt, negabit. Quod vero praeterea altius aliquod & spirituale beneficium praefiguratum fuerit, quaedam Scripturae loca indicare, & consequenter, ut hoc divinum beneficium

D ad

(e) in *Miscell.*, cap. XLVI. (f) 2. Cor. V. 17. Eph. II. 10. Jes. LXV. 17. LXVI. 22. Apoc. XX. 1. &c. (g) in *Synopsi Crit. ad Gen.* c. I.

ad secundum, quod supra recensuimus, typorum genus révoce-
mus, quasi jubere videntur. Rem enim antitypi, licet non tertia
comparationis, Spiritus S. in locis adducendis, ostendit.

§. II.

Horum prior est in I. Cap. *Evangelii Johannis*; ubi Scriptor
facit, divinitatem τῆς λογῆς, aeternamque cum Patre coëxisten-
tiam demonstraturus, per Christum omnia creata esse evincit,
cumque deinceps pro scopo suo, (per quem omnem omnium
hominum salutem a Christo, vero Deo & vero homine, depen-
dere docet,) obtinendo, a salutaris ejusdem in carnem adventu
& adparitione initium facere vellet, hoc ipsum, proventu lucis
ex tenebris in Creatione occurrente, tanquam typo involutum
esse, haud obscure indigitat. Ita enim v. 4. inquit: ἐν αὐτῷ (sc.
λογῷ, qui est Christus) ζωὴ ἦν, καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώ-
πων: Pergit, quasi ad historiam Creationis recurrens, καὶ τὸ φῶς
ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν. Tam clara
haec sunt verba Spiritus S., ut, ad tertia quoque comparationis
manuductionem hoc ipso tradere, non sine ratione videatur,
praecipue si conferantur, quae in altero loco, hanc in rem per-
tinentia, leguntur. Quae enim haecenus de Christo, causa illu-
minationis ex Johannis loco explicata vidimus, ea Paulus in
2. Cor. IV. de effectu seu illuminatione ipsa asserit, quando v. 6.
scribit: ὁ θεὸς, ὁ ἐπιπῶν ἐκ σκοτῆς φῶς λαμβάνει, ὃς ἐλάμψεν ἐν
ταῖς καρδίαις ἡμῶν, & quae sunt reliqua. Ita nempe Luminis
naturalis divina virtute producti donum, ad illuminationis spiri-
tualis beneficium adumbrandum, adhibetur, ut tum *ad Lucem*
ipsam, tum *ad illuminandorum conditionem*, tum denique *ad il-*
luminacionis divinam virtutem & efficaciam respiciendum esse
censeamus. *Lux* spiritualis atque divina Christus est, *Lumen* de
Lumine, *Deus* verus de Deo vero, *Gloriae Paternae ἀπαύγασμα*.
Saepius hic in libris divinis (*b*) *Solis Justitiae, Stellae matutinae,*
Lucis in mundum venientis nomine, insignitur. *Tenebrae* abyssi
signant

(b) *Mal. IV. 2. Luc. I. 78. Apoc. XXII. 16. Job. VIII, 12. XII, 46.*

signant statum luctuosum atque miserum mundi, hominumque, qui sub peccato & morte omni luce divina sunt destituti, quorum proinde intellectus obtenebratus dicitur, ipsique a vita divina alieni (i), imo merae tenebrae vocantur; quo titulo etiam regnum Satanae, ipseque ejusdem princeps veniunt. Utrobique vero, in dispellendis tenebris naturalibus & spiritualibus, ad utramque lucem producendam, divina requiritur atque infinita potentia, quae in prima creatione virtute absoluta egit; in conservatione vero, et ex illa pendente luminis naturalis applicatione, ut et in illuminatione spirituali, certo ordini sese adstrinxit, quem si observare nolint tenebris immergi homines, quin stolide potius repugnent (k), ipsi in culpa sunt, quo minus lucis coelestis fiant participes.

§. III.

Insignis porro momenti typus, a Spiritu S. una cum tertiis comparationis indicatus, ex institutione Sabbati Gen. II. elicitur, ubi quatuor potissimum sunt, quae recensentur. Primum dicitur Deus complevisse opus suum die septimo, et ad debitum perfectionis statum deduxisse; quibus consummatis quievit ab omni opere suo, quod autem non ita accipiendum esse, ac si Deus hac quiete refectus, vel majore, quam antea, voluptate adfectus sit, BALDWINVS (l) inculcat. Licet enim hoc ex voce שבת, quae Exod. XXXI. 17. de Deo, & XXIII. 12. de creaturis adhibetur, sequi videatur, patet tamen, in illo loco phrasin ανησυχιας esse positam, ut, qualem quietem Deus creaturis assignare voluerit, homines eo melius intelligant. Quemadmodum ergo, qui in opere difficili versantur, consummationem ejus desiderant, qua impetrata laeti acquiescunt; ita Deus hoc ipso docere voluit, in tot, tamque perfectis operibus, eorumque Creatore nobis quoque acquiescendum, & laetitiam animi, signis luculentis manifestandam esse. Huc tendit sanctificatio hujus diei, quam quidem

D 2 in

(i) Epi. IV. 18. V. 8. alibique passim. (k) Joh. III. 9. 2, Cor. IV. 3. 4.
 (l) in Comment. ad Epp. Paulinas p. 1571. n. VI.

in segregatione ex vulgari numero atque ordine consistere, omnes sciunt, ita scilicet, ut, ab aliis diebus haec distincta, laboribus remotis & dilatis, Divino cultui ejusque exercitiis tantum dicaretur. Quinimo non exiguum quoque sanctificationis momentum in eo consistere arbitror, quod dies Domini, dies quietis Domini, **שבת שבתו יהוה**, Exod. XXXI. 16. XXXV. 2. appellatus fuerit. Quo ipso Majestas Dei auxit quasi curam, in observantia hujus diei adhibendam, quam ejusdem Bonitas excitare jamjam poterat: *Benedicere* enim, quod superest, nihil aliud involvit, quam felicitatem maxima ex parte promovere. Et in hoc potissimum beneficium hujus actionis divinae consistit, quod tum ad animae salutem, tum, & quidem post lapsum hominis, ad corporis quoque vires promovendas & sustinendas, diem septimum, peculiari studio observandum, injunxit. *Sabbatum enim propter hominem institutum esse*, ipse Christus. (m) diserte testatus est.

§. IV.

Quod si jam in hujus beneficii antitypum inquirere velimus, clavem rursus a Divo Paulo obtinebimus. Hunc enim Sabbatum, tanquam typum, expresse citasse et copiose deduxisse, *in Cap. IV. Ep. ad Heb.* legimus. Provocat quidem potissimum ad illa verba Davidis *Psal. XCV.* et de quiete, per possessionem Canaan acquisita, loquitur; Sed ut taceam, hanc ipsam introductionem quoque per institutionem Sabbati praefiguratam fuisse, ipsam tamen Sabbati primam institutionem Apostolus v. 4. adducit, et, tanquam certissimus Interpres, utramque Hebraeorum vocem, et **מנוחה** Psalmi XCV. et **שבתו**, Exod. XXXI. pari modo per *καταπαύσειν* reddit, imo v. 9. relinqui *σαββατισμον*, notanter dicit. Eo tutius itaque tertiae comparationis colligimus, eaque potissimum, *in cessatione a quibusdam operibus*, quae antecesserant, vel jam ad finem sunt perducta, tum vero *in requie* subsequente, animumque reficiente, collocamus. Quemadmodum vero populus Israeliticus speciali ratione duplicis quietis beneficium a Benignissimo

(m) *Marc. II, 27.*

nignissimo Numine concessum accepit; primo, per quietem diei septimi a laboribus, quibus per reliquos hebdomadis dies erant dediti, tum vero, per introductionem ad terrae quietem promissam, superatis deserti molestiis: ita tantum abest, ut in his complementum typi habeatur, ut potius ex indicio Davidis, longo post introductionem Cananaeam intervallo viventis, et ex argumentatione Paulina, sublimiora adhuc et pleniora sint promissa. Quo non tantum pertinet quies spiritualis conscientiae, fidelibus in N. T. per Christum parta, quae et cessationem a peccatis supponit, et liberationem a iugo operum et molestiarum ceremonialium infert; sed etiam, et quidem potissimum, quies aeterna, quam Sabbatismum Consummationis (n) vocant. Ibi enim populus Dei, superatis huius Saeculi laboribus et molestiis, omnino cessabit ab omnibus hominum operibus, tum quae omnino et per se sunt mala, tum, quae indifferentias quidem, sed circa statum tamen et vitam huius mundi occupata fuerunt. Ibi illa in DEO speranda quies, praedicata in hoc saeculo per Evangelium Christi, et ad conscientiarum tranquillitatem collata, plene perficietur et consummata (o) possidebitur.

§. V.

Ordo nos nunc deducit ad *Diluvium* et *conservationem* *salutis Noachi* in illo, divina gratia atque potentia, factam, de quibus Gen. VI. *segg.* Beneficii ipsius collati gravitas, ex accuratiori circumstantiarum consideratione elucescet. Quod enim Deus, omnibus omnino hominibus, imo Creaturis singulis, (si paucas ad specierum conservationem necessarias excipiamus,) perditioni destinatis, ex interitu, unius hominis familiam, miraculo quasi intercedente, liberavit, id sane favoris prorsus singularis prae se fert notam, quemque ex hac oppositione eo maiorem deprehendimus, quo latius illa Nemesis divina sese extendebat. Fuisse enim Diluvium universale, et totum terrarum orbem inundasse, vel ex

D 3

simplici

(n) BALDVINVS ad b. l. p. 1573. n. XXIX. (o) conf. SEB. SCHMIDTUS in Comm. ad Hebr. IV. in *Vsbis Practicis*. Addi B. HEDINGERI annotatio ad b. l.

simplici verborum Scripturae consideratione ediscimus; quicquid etiam PEYRERIVS, diluvium intra Palaestinae limites olim coarctans; quicquid praeterea VOSSIVS, (p) latius quidem se diffudisse, nec tamen totum globum aquis tectum, statuens; quicquid porro STILLINGFLETVS, possibilitatem concedens, ipsam vero inundationem illi tantum orbis parti, quae ab hominibus inhabitata fuit, adscribens; (q) quicquid tandem CLERICVS, (r) BVRNETVS (s) aliique obiciant; (t) nobis conscientiae ducimus, restringere id, quod Spiritus S. restrictum noluit. Et quare, quaeso, necessaria fuisset omnis generis viventium in arcam introductio, nisi omnis caro consumenda esset? nec Deus denuo terrae benedixisset, nisi haec restitutio, tanquam nova quasi creatio, consideranda fuisset. Manet ergo Beneficium, Noacho et familiae suae proprium atque peculiare, et insigne quidem, non promeritum tamen, sed gratis concessum. Neque enim Noachus, victimas post egressum ex arca offerens, ab universali asserto, de pravitate cordis humani conquerente, excipitur; neque ipse scriptor sacer silet, Noachum gratiam apud Deum invenisse; quo ipso haec liberatio ex aquis diluvii tanquam insigne Beneficium gratiae divinae deberi patet. Quamvis non negemus Benignissimum Numen vitam eius sanctam, piam et iustam ita approbasse, ut hoc beneficio et bonitatis divinae et iustitiae remuneratoriae signum inde elucesceret. Haec gratia Patriarchae tempus dilatae poenae manifestavit, eoque dilapso, modum, quo per aquam, aliis mortem inferentem, salvari possit, indicavit. Per eandem gratiam Deus Noacho et familiae, in arca conservandae, propitium se fore, foedere obstringebat, et per totum diluvium praesidio suo eundem firmabat, et patrem quasi secundum totius generis humani constituebat. Adeo abyssus aquarum abyssum

(p) in *Diff. de vera aetate mundi* c. XII. (q) in *Originibus sacris* L. III. c. 17. §. III. (r) in *Comm. ad Gen.* VIII. 19. (s) in *theoria telluris sacra*, Lib. I. c. II. p. 4. seqq. (t) de quibus, quas & quanti tenoris rationes proferant, quidve ad eas respondendum sit, vid. *Cel. BVDD. Hist. Eccl. T. I. Sect. II. p. 178. seqq.*

sum beneficiorum divinatorum Noacho perscrutandam offerre potuit.

§. VI.

Animas has octo, ab interitu per aquam liberatas, quibus tum integra Ecclesia constabat, Ecclesiae Christi typum prae se ferre, omnes fere consentiunt. Et quemadmodum in hanc, non nisi per Baptismum introëundi potestas datur, ita investigabimus nunc, qua ratione *aqua Baptismi* cum *aqua diluvii* conveniat. Convenire, imo per hanc illam praefigurari, ex *Petrinis verbis* 1. Ep. III. 21. edocemur, in quibus, Baptismum Diluvii *αντιτυπον* esse, *κατα ρητον* occurrit. Tanti quoque merito habita fuit haec auctoritas, ut haec ipsa doctrina publico quasi Ecclesiae Evangelicae suffragio (u) confirmaretur. Sic enim verba precatiois, in Baptismo adhiberi solitae, se habent: *Allmaechtiger ewiger Gott, der du hast durch die Sündfluth nach deinem strengen Gericht die ungläubige Welt verdammet, und den glaubigen Noah selb acht nach deiner grossen Barmherzigkeit erhalten, und den verstockten Pharao mit allen Seinen im rothen Meer ersaufft, und dein Volck Israel trocken hindurch gefuhrt, damit dieß Bad deiner heiligen Tauff zukunfftig bezeichnet*: Constitutio Ecclesiastica Norimbergensis addit: *und bedeutet*. Modum ergo investigantes, quo aqua diluvii aquam Baptismi praefigurarit, & in quibus tertia comparationis secundum Spiritus S. ductum quaerenda sint, tum *ad rem ipsam*, tum *ad effectus salutare*s respicere possumus. Quantum *ad illud*, primum, quod in conservatione Noachi consideratu dignum occurrit, est, quod per aquam, eamque tum ex nubibus tum ex fontibus confluentem, adeoque naturalem et simplicissimam, factam eandem esse scimus. Iamque Petrus I. c. dicit idem *το υδωρ* esse, *ω και ημας αντιτυπον βαπτισμα σωζει*; ita enim

(u) Agitur hac de re in libello Lutleri de baptizandis infantibus (Tauf-Büchlein) qui, etiamsi una cum libello de Copulatione (Trau-Büchlein) in quibusdam formulae Concordiae editionibus omissus fuerit, REINECCIANAEE tamen p. 197. seqq. insertus conspicitur, qui etiam omissionis illius causas, p. 584. in nota adducit. Libri Normales Norimbergenses vero hic videantur p. 1135.

enim commode pronomen relativum, non tam ad totam sententiam praecedentem, quam potius ad vocem *υδατος*, proxime antecedentem, referri posse (x) censemus. Secundum, quod observamus, est immensa copia aquarum, quibus arca ubivis circumdata & elevata fuit, cui utique respondet immersio plenaria, primitivae Ecclesiae Christianae recepta, & per sepulturam baptismalem a Paulo subindicata. Quae, cum hodie cesset, non statim effectum Baptismi etiam cessare credendum; Petrus enim ipse, salutem non in ablutione externae impuritatis consistere, urget, adeoque sufficit, ut aqua secundum Christi institutionem adhibeatur; etiamsi concedamus, adspersionem nostram, quo largior adhibeatur, eo propiorem & typo & consuetudini primae accedere. (y) Tertium in eo quaerimus, quod hoc conservationis medium ab ipso Deo, Noacho suisque suppeditatum fuerit atque insinuatam; nec Baptismi institutio hominibus originem debet, sed divino, Christi nempe, nititur mandato, divinisque promissionibus est munita. In quantum vero *salutares illi effectus*, per sacramentum initiationis ad nos redundantes, sub typo diluvii latent, id erit adhuc demonstrandum. Suffocationem generis humani depravati, typum fuisse submersionis veteris Adami, divina virtute in Baptismo contingentis, nullum est dubium, id enim tot Scripturae loca (z) de spirituali sepultura agentia comprobare videntur. Foedus, Deum inter & Noachum initum, praefigurasse *επερωτημα συνειδησεως αγαθης εις θεον* Petrini verba subinnuunt. Imo, quemadmodum illud pactum divinum ad Noachum & totam

(x) v. Ioach. LANGII Comm. in b. l. (y) Conferatur hic Summe Rev. DN. ZELTNERI, Praeceptoris nostri aeternum venerandi, Diff. de larga Perfusione aquae in Baptismo. Consentit Cl. LANGIUS, l. c. qui rem quidem indifferentem & in Ecclesiae libertate relictam esse ait, pro submersione adhibere affusionem aut adspersionem; sed cavendum tamen esse, ne materia baptismi, aqua, ad paucas usque guttulas, quibus vix una atque altera capitis particula imbuitur, in adspersione minuat. (z) v. g. Rom. VI. 4. Col. II. 12. Sic B. GERHARDVS ad locum 1. Pet. III. ex glossa interlineari in b. l. ait: Per illos, qui submersi sunt in diluvio, significatur mortificatio carnis; per illos, qui salvati sunt in arca, significatur vivificatio spiritus.

tam familiam sese extendit, nec illis exceptis, qui, postmodum maledictioni subiciebantur; ita ad efficacem Baptismi administrationem illi quoque fidelium liberi perveniunt, qui successu temporis rursus deficiunt, suaque perfidia semetipsos sine Baptismi ultimo, salute nimirum aeterna privant. Noachus ex arca descendens, quasi regenerato similis factus; etiam baptismus est lavacrum regenerationis spiritualis (a). Denique ipsam vitae conservationem post diluvium firmatam, aeternae vitae per Baptismum acquirendae, & adhuc expectandae imaginem tulisse, in confesso est apud omnes. Quae de reliquo BIERMANNVS, respectu columbae, in diluvio ramum olivae adferentis, ad Spiritum S. applicavit, (b) hic non urgemus, quamvis persuasum habeamus, rem omni fundamento non destitui, si effusionem Spiritus S. Tit. III. commemoratam consideres, is simul dictis in subsidium vocatis, quibus Spiritui S., in figura columbae comparere (c), & fons pacis appellari, placuit. (d)

§. VII.

Missis beneficiis particulariis, quae a tempore diluvii variis hominibus varie collata fuerunt, ad solennem illam & amplissimam educationem totius populi Judaici, ex servitute Aegyptiorum, transcendimus, quidque in illa & sequentibus connexis, ad introductionem & distributionem Cananaeam usque, typici deprehendatur, dispicimus. Vbi quidem animus nobis non esse profite-mur, quaecunque in hac ampla periodo, beneficia typica occurrunt, eadem concatenata connexione, systematis quasi instar, in antitypo eruere: coactum forte hoc nimis esset: In singulis potius, praeunte Scriptura, nunc hoc, nunc illud donum spirituale latere, demonstratum ibimus. Educationis ergo ipsius (e) e terra Aegypti, beneficii insignis, gravitas, ex jugo ipso, quod cervici Judaeorum impositum erat, ponderanda est. Gemitus, quos da-

E bant

(a) Tit. III §. (b) in Mose & Christo p. 740. (c) Job. I. 32.

(d) haec enim tanquam fructus eidem Gal. V. 9. adscribitur.

(e) de qua vid. Exodi capita priora, praesertim XII.

bant Israëlitaë, per longum satis temporis intervallum, de calamitosa eorum miseria, satis testantur; vota, liberationem anhelantia, jugi carcerisque duritiem depingunt: exosculabantur quoque legationem Moïsis, diu a facie Pharaonis profugi, postquam divina virtute se instructum ostenderat, & laeti sequebantur Ducem, qui a tyrannico servitutis jugo liberatos ipsos, & libertati & servitio divino vindicaturus erat. Respexisse hoc ipso Beneficio, Israëlitis exhibito, divinam sapientiam ad liberationem fidelium a servitute Satanae, & jugo atque maledictione Legis, per Christum partam, ex variis N. T. locis colligimus. Mosen Christi typum fuisse, nemo negat, qui comparationem a Paulo (f) factam, & utriusque officium attentius contempletur. Populum, e servitute manu potenti liberatum, Deus in peculium sibi asseruit; sed sensu ac jure praestantiore Christiani vocantur (g) γενος εκλεκτος, βασιλειον ιερατευμα, εθνος αγιον, λαος εις περιποιησιν, quem Christus sanguine suo περιεποιησατο, & in peculium servitiumque sibi acquisivit. Tyrannis Aegyptiorum ludus erat & umbra, prae servitute immani regni tenebrarum & peccati, e qua educti (h) fideles atque liberati, Deo Liberatori suo, nunc laetamente per omnem vitam serviunt, per mundi deserta ab ipso in coelestes sedes, dudum promissos, introducendi.

§. VIII.

Ultimum fere exitus momentum antecessit salutaris illa Paschatis celebratio & comestio. De quo quidem agno Paschali inter omnes constat, (i) fuisse typum Christi; ne adeo omnes circumstantias (k) in quibus convenientia aliqua occurrit, proferamus, eas tantum commemorabimus, quae beneficium aliquod tam Judaeis praestitum, quam Ecclesiae N. T. exhibendum nobis tradunt. Ita vero varia se ostendunt nobis bona, quando agnum, vel

(f) Ebr. III. 2. seqq. (g) 1. Pet. II. 9. 10. coll. Exod. XIX. 5. 6. Deut. VII. 6. Act. XX. 28. (h) Luc. I. 74. 75. Rom. VI. 20. seqq. Col. I. 12. 13. (i) v. 1. Cor. V. 7. Job. I. 29. XIX. 36. 1. Pet. I. 18. (k) quorum collationem invicem institutam vid. in citati BIERMANNI Moïse & Christo p. 641. seqq. it. L'ANGLI Mystèrio Christi & Christianismi p. 345. seqq.

vel ut maſtatum , vel ut comeſtum conſideramus. Ibi ſanguis ad poſtes adſperſus movit Angelum vaſtato- rem , ne in Ebraeorum primogenitos irrueret ; quae Iſraelitarum immunitas , cum immani tot primogenitorum interem- tione collata , coegit quaſi Aegyptios , ut liberationem Ebraeorum velut impetu & ejectione procurarent : Hic , nempe in comeſtione , reſpectum habemus vel temporis tunc praefentis , vel ſubſequentium ; in illo victu ad iter , quod inſtabat , neceſſario alebantur ; dein vero , quod praecipuum eſt , celebratio ejusdem Feſti in terra Cananaea , quotannis inſtituta , non tantum gratae beneficii accepti memoriae inſerviebat , ſed etiam confirmationem de Meſſia exhibendo , & manducationem ad manducationem Chriſti ſpiritualem , conſequenter inſignem fidei confortationem praeftabat. Vnde facile patet , figuram hic ſimul adſuiſſe beneficii futuri , longe eminentiori modo Eccleſiae & fidelibus , ſuo tempore exhibendi , in agno Paſchali antitypo , Chriſto nempe , nunc maſtato , & quamdiu Eccleſia in his terris militat , comedendo. Sanguis enim ejus ſanctiſſimus , ad limina crucis adſperſus , & iram Dei placavit , & mortem , quique mortis poteſtatem habet , diabolum , poteſtate ſua penitus exiit ; imo hac ipſa effuſione , in ligno facta , tanquam complemento ſatiſfactionis Chriſti , libertas noſtra ad ſummum apicem aſcendit. Jam vero , ubi adhuc hodie carne maſtati noſtri agni paſchalis veſcimur , non tantum gratiſſima mente recordamur infinitam ejusdem bonitatem , & ita mortem ejus annunciamus ac celebramus ; verum etiam in communionem ipſius venimus , & fructus ſaluberrimos inde reportamus. Atque hujus unionis ſpiritu- alis , membra verae Eccleſiae tantum participes redduntur , quemadmodum etiam nonniſi circumciſis , adeoque ad Eccleſiam Judaicam pertinentibus , (1) agnum comedendi poteſtas data fuit. Neque vero mirum alicui eſſe poterit , etiam Sacramentum hoc Vet. Teſtamenti in beneficiorum typicorum nume-

(1) Exod. XII. 44. ſeqq.

rum a nobis referri ; neque Reformatis per hoc assertum occasio suppeditabitur , a Sacramentis Vet. Test. ad ea , quae in Nov. Test. instituta sunt , colligendi , & his etiam , potestatem tantum symbolicam , typicam & significantem concedendi. Quemadmodum enim nostrates , quando de *convenientia & differentia Sacramentorum V. & N. T.* praecipunt , contra *Pontificios* , speciatim BELLARMINVM (*m*) solidis rationibus evincunt , tam Veteris quam Novi Testamenti Sacramenta fuisse efficacia , divinam gratiam conferendi & obsignandi , media , adeoque ratione efficientiae , usus & fructus nullam esse differentiam : ita contra *Reformatos* dudum jam demonstrarunt , maximam , si substantiam sive essentiam spectemus , esse differentiam. Cum enim omne Sacramentum sequatur naturam sui Testamenti , nihil obstat , quo minus in V. T. quod umbram futurorum tantum habuit , sacramenta etiam , nonnisi *typicam* & figuram adumbrantem venturi Christi habuerint : Sacramenta vero Novi Testamenti , quod hujusmodi figuris destituitur , & Christum jam exhibitum nobis offert , non figuras & umbras , sed ipsum Corpus , ipsum Christi in carne manifestati substantiam nobis sistunt. Eleganter hanc in rem (*n*) AVGVSTINVS *Sacramenta Vet. Test. fuisse* , ait , *praenunciativa Christi futuri ; sed Sacramenta Novi Testamenti esse annunciativa exhibiti Christi : in Sacramentis Vet. Test. fuisse veritatem promittentem , in Novo exhibentem : In Veteri significationem promittentem , in Novo res redditas* (*o*). Consequenter , quamvis in agno Paschali tantum fuerit typus & figura adumbrans corporis & sanguinis Christi : non ideo in S. coena quoque tantum symbolum , sed ipsa potius substantia corporis & sanguinis Christi nobis exhibetur.

§. IX. Exi-

(*m*) *Lib. II. de Sacram. c. 12.*

(*n*) *Epist. 118. ad Januar. it. in Psal. 73. & alibi.*

(*o*) *conf. GERHARDI LL. Theol. T. 4. de Sacram. in genere & de Circumcisione. item BROCHM. Syst. Art. 32. quaest. 15. &c.*

§. IX.

Exitum Israëliitarum, post comestionem agni Paschalis, ab ipsis Aegyptiis properatum & promotum, nunc excipit *transitus per mare rubrum*, & *columna nubis*, qua Deus praesidium se Ducemque populi sui declaravit (p). In illo si consideramus Israëlitae ad incitas quasi redactos, dum ex una parte littora maris, ex altera adproperantes Aegyptios, vel aeternam servitutem, vel mortem ipsam minantes, ob oculos habebant; & inopinatum, quo se periculo isto ereptos videbant, medium simul intuemur: certe non possumus non, etiam ex hoc fonte, omnipotentem infinitae bonitatis divinae manifestationem admirari. Sunt equidem (q), qui praecipua hujus facti momenta, soli Mosis prudentiae adscribunt, ut qui, rerum naturalium peritus, tempore fluxus & refluxus maris commode observato, transitum procuraverit; divinae potentiae notam vero in eo tantum quaerunt, quod supremus ille rerum omnium arbiter, Mosis precibus innotus, vento graviori excitato, refluxum quasi retardaverit, id quod ad miraculum edendum sufficere credunt. Verum enim vero, ex idoneis argumentis, e doctrina temporum & siderum cum primis, petitis, ostensum jam est, eo tempore, quo Israëlitae Arabicum sinum trajecerunt, ne ordinarium quidem refluxum seu detumescentiam fuisse, sed transitum, intumescente potius mari, factum esse (r). Praeterea vero, non sine gravi scandalo, Mosis impostura quasi tribueretur, qui baculum divina auctoritate extendendum, & hac ipsa ceremonia aliquid praeternaturale expectandum profiteretur, quod tamen sua natura se exeruisset. Quocumque

E 3

autem

(p) Sedem horum miraculorum vid. Exod. XIV.

(q) In ea versatur sententia imprimis CLERICVS, qui etiam in Diss. de Meris Idumaei Trajectione conferri potest; annexa est illa Commentario ejus in Pentateuch. p. 540. seqq.

(r) id quod ex summe Rev. DN. BAIERI, Praeceptoris nostri aeternum colendi, Dissertatione Mathematica de hac ipsa quaestione, Jenae olim a. 1697. habita edificimus. Aude Celeb. DEFLINGII Obs. S. P. III. n. 5. ubi miraculi fides contra alios etiam dissentientes pluribus vindicatur.

autem modo mare scissum, & aquas instar murorum ex utroque latere constituisse explicent, certe de maris aestu haec intelligi non possunt, qui littora aquis destituit, neququam vero aquas ita dividit, ut medio fundo iis destituto, ex utraque parte tanquam muri remaneant atque consistant. Gratiofae itaque potius potentiae Dei haec omnia tribuimus, praesertim cum aliquid typici simul beneficio hoc, Israelitis exhibito, adumbrare voluerit. *Baptisimum* rursus eo praefigurari, ex loco Paulino (s) constat, & supra jam §. VI. praenotatum est. Certe ratio alia, cur Israelitae omnes in nube & mari *baptizati* esse dicantur, commode dari nequit, nisi ad typum provocemus, quem miraculosus Israelitarum transitus in relatione ad Sacramentum Baptismi habuerit (t). Ibi, Pharaone cum exercitu submerso in undis, Israelitae ex Aegyptiaca servitute per hunc transitum liberantur; hic, vetere homine, cum exercitu vitiorum intereunte, ex spirituali infernalis Pharaonis servitute vindicamur. Praeterea Paulus I. c. v. §. multos in Mosen baptizatos esse asserit, qui tamen gratia Dei, subsequente tempore exciderunt; id quod etiam in baptizatis multis, proh dolor! saepius saepiusque evenire scimus. Eodem loco Paulus typum quoque *columnae nubis*, per mare & desertum Israelitas ducentis & juvantis, priori apte jungit. Quae columna nubis atque ignis, sive de duabus sive de una columna explicetur, (mallem tamen posteriori subscribere), utraque explicatio ad effusionem aquae & spiritus digitum non obscure intendit. Certamen, quod in hac causa Viri eruditi cum ingeniosissimo Herm. ab
 HARDT,

(s) 1. Cor. X. 2.

(t) vid. BIERMANNVS p. 752. seqq. it. GERHARDVS LL. Theol. de Baptismo §. 4. qui Concilii Toletani IV. verba haec simul adducit: Mare rubrum significat Baptisimum, Christi sanguine consecratum, per quod populus sub columna nubis & ignis semel transit; ubi tamen tota Trinitas erat, praecedente populum columna nubis & ignis: in igne quippe significatur Pater, in columna Filius, in nube Spiritus S. ut alios consentientes taceamus.

HARDT, (#) qui ignem sacrum ejusque fumum, exercitui Israëlitico praelatum, subinui arbitratur, iniverunt, meum nunc ut faciam, opus non est, qui simplici potius fide verbis Scriptoris sacri adhaereo, quae Deum, sive Christum, Dei filium, in columna fuisse, ex ea ad Aegyptios despexisse, & perturbatione magna illos delevisse ostendunt. Id quod omnium optime tutelam fidelium, & oppressionem seu everfionem hostium Christi delineat. Volunt alii (x), incarnationem Servatoris per haec schemata praefiguratam fuisse, idque ex Es. IV. 5. coll. Apoc. XI. 1. VII. 16. aliisque locis probari putant, quae tamen suo loco relinquo.

§. X.

In eodem loco, quem §. praecedente ex Paulo recensuimus, mentio quoque fit novi typi, *Mannae* scilicet & *aquae Petrae*; quod utrumque beneficium in deserto Israëlitico a Deo praestitum, etiam a nobis praetermitti penitus non debet. (y) Et quidem, si cibum respicias, neque hic naturalis aliqua causa, sed operatio divina prorsus singularis in censum venit. Pugnat rursus contra Hermannum ab HARDT, (qui post VALESIVM (z) & SALMASIVM, (a) longius adhuc progressus, ordinariam hanc & naturalem fuisse Mannam, qualem in Arabia cum primis & in Libano monte reperiri, veteres atque recentiores tradunt, contenderat,) Celeb. CALVOERIVS (b) atque rem non a Natura, sed

(#) Qui litem in compendio enarratam desiderat, conf. Cl. BVDDEI *Histor. Eccles. P. II. Sect. I. p. 577. seqq.* Fontes qui adire cupit, evolvat Hermannii ab HARDT *Ephemerides Philologicas*; easdem illustratas; item illustratarum *Vindicias*: Contra eum, CALVOERI *Gloriam Mosis*; eandem illustratam. add. MPNDENIVS in *Commentatione de Columna Nubis & Ignis.*

(x) vid. BIERMANNVS p. 762. add. LANGII *Mysterium Christi & Christianismi* p. 76.

(y) evolve *Exod. XVI. & XVII.*

(z) in *Philosophia S.*

(a) in *Commentario de Manna.*

(b) in *Gloria Mosis* *Diss. II. C. II. p. 81. seqq.*

fed ab Auctore Naturae prodiisse, acriter defendit. Sunt & alii hac in causa vindicanda, sedulo occupati; (c) Imo VOGLERVS, Medicus quondam Helmstadiensis celeberrimus, Mannam Israëli-
tarum a Manna Arabica distinctam fuisse his potissimum rationibus evincit: (d) quod I. loco differant, dum haec in arboribus, illa vero in terra reperta fuerit: II. tempore, cum panis spiritualis 1.) solis sex diebus, 2.) per totum annum, 3.) tantum quadraginta annos in deserto delapsus sit; naturalis vero 1) omnibus diebus, 2) per aliquot anni menses, & 3) adhuc hodie reperitur: III. ipsi tandem qualitatibus, quae pluribus collatae sunt ab aliis. Nobis sufficit panem illum miraculosum, tum demum Israëlitis suppeditatum esse, postquam populus aliquot dies in deserto jam vagus, & penuria laborans, cibum avide, & non sine gravissima in Mosen & Aaronem facta invectione desideraverit. Et concessit Deus, iisdem non promerentibus, praeter coturnices, hoc frumentum (e) coeli, ad gloriam suam & misericordiam declarandam. Pari modo, ubi siti premebantur Ebraei, Deumque tentare non desinebant, etiam in eo pepercit Deus populo suo, & mirandum in modum aquam sufficientem protulit, cum ex petra fluvius quasi, pulsanti Mose occurreret. Hunc itaque cibum, hunc potum, dum Paulus 2. Cor. X. 3. 4. spirituales nominat, & Christum simul sub illis donis symbolice traditum esse ostendit, tertiae comparationis etiam hic eruere, fas erit. *Christus*, beneficiorum plerorumque antitypus, considerari in hoc nostro poterit, vel secundum *ortum ac essentiam*, vel secundum *gratiosas suas operationes*; in utroque verbum de coelo delapsum deprehendemus, tam *προσατικον* quam *προφορικον*; imo posterius est medium, quo ad prioris salutarem communionem perducimur, adeo, ut & Sacramentalis manducatio carnis Christi verbo & promissione divina nitatur: unde

(c) conf. WALTHERI *Diff. de Manna. add. DEPLINGIUS Obs. sac. P. III. Obs. 7. p. 55. seqq.* & ipse J. CLERICVS *Comm. ad Exod. XVI.*

(d) in *Commentario de Rebus Naturalibus & Medicis in Scriptura S. p. 87. seqq.*

(e) ita Regius Psalter vocat Ps. LXXX. 14.

unde conjunctim, *Christum, ejusque Evangelium*, jure optimo antitypum tum *Mannae*, tum *aquae spiritualis* vocamus. Christus ipsiusque Verbum est panis de coelo veniens Joh. VI. 50. 51. datus humano generi, in miseris summis constituto, gratiam hanc neutiquam merenti. Manna omnibus atque singulis erat communis: ita Verbum Dei utrumque, cibus spiritualis omnibus est, nisi qui semetipsos excipiunt. Quantitas omnibus, plus minusve colligentibus eadem erat; Etiam cognitio verbi divini, gradu diversa, omnibus aequalem salutem comparat. Fides nostra est *ισοτιμος*, 2. Pet. I. 1. idem *μετρον πισεως*, eadem fidei mensura, si Christum recipiendum, tam a fide imbecilliori quam robustiori, respiciamus. Quotidie hic panis erat colligendus, nec, excepto Sabbato, in crastinum seponendus, sepositus vero foetuit: Neglectus & contemptus verbi divini neque vitio neque damno caret, quinimo verbum quibusdam odor mortis ad mortem fieri potest, 2. Cor. II. 16. & in Sabbato aeterno, quem populus DEI expectare debet Heb. IV. 9. non amplius nobis opus erit cibo comparando: ibi potius pane collecto fruimur. Ratione contemptus quoque Manna & Verbum Dei eadem fata perpetiuntur; & quae tertia comparationis plura ab aliis sunt collecta. (f) Aqua ex Petra profluens ad fontem solatii in Christo absconditum applicatur, hic est Petra Matth. XVI. 18. 1. Cor. X. 4. ille dat aquam vitae Joh. IV. 13. seqq. Verbum Dei est, quod defatigatas hominum fidelium animas recreat, Ps. XLII. 2. & qui pulsatus, ei aperietur, Matth. VII. 7. Plura hic non addimus.

§. XI.

Tot tamque illustria DEI beneficia ex infinita gratia Judaeis oblata, jure meritoque ad sinceram eosdem, peccatorum, per iteratas murmurationes commissorum, poenitentiam excitare utique debuissent. Tantum vero abest, ut iste fructus secutus sit,

F

ut

(f) Plura vid. in *BIERMANNO* p. 780. seqq. item quoad aquam 794. add. *LANGII Hist. Eccles. V. T. p. 153.*

ut potius novo horum donorum fastidio, conjuncto cum taedio in circumeundis Idumeae finibus, & infecuto fremitu indignissimo, pertinaciam suam proderent. (g) Quo facto, cum Deus omnes per serpentum morsus absorbere decrevisset, adeo tamen intercessione Moſis rursus flectebatur, ut ipse medium suppeditaret, quo ab istis laesionibus sanari iterum possent. Consistebat illud *in erectione Serpentis aenei*, a Moſe, jussu divino facta, quem qui intuebatur, a venenatis serpentum laesionibus subito se saluum vidit & incolumem. Exhibitum esse hoc ipſo, populo Dei novum beneficium, & tale quidem, quod altius quoddam atque spirituale adumbraverit, nemo inter Christianos inficiabitur, qui Christi ipsius applicantis Joh. III. 14. 15. auctoritatem debito modo veneratur. Nihilominus tamen variae de Serpente hoc aeneo, tam in typo quam in antitypo considerato, in medium sunt prolatae sententiae. Et quidem contra MARSHAMVM, qui Moſen magicis artibus & incantationibus, pro Aegyptiorum more, per amuletum, venena ignitorum serpentum extinxisse, impie statuit, fortiter militat Eruditissimus DEYLINGIVS (h) hujusque sententiae impietatem his potissimum rationibus evincit: quod I. obſtet lex divina, Lev. XIX. 26. qua divinatio, a Serpentibus petita, Israëlitis interdicta fuit; quod II. hac interpretatione in ipsam sanctitatem Dei, cui cum Satana nullum commercium, graviter peccetur. Bernh. Seb. CREMERVS, de cujus Prodro-mo Typico in Parte priore jam diximus, etiam in hoc typo peculiarem adſcivit hypothesin, dum presterem verum, quemcunque obvium, vi sua orbatum, a Moſe, eum arripiente, in serpentem aeneum muta-

(g) Num. XXI.

(h) In *Observ. S. P. II. obs. XV. §. 19. p. 165. seqq.* ubi etiam de natura serpentum, deque mysterio, in erecto simulacro, toties ab ipſo Deo erigi prohibito, occurrente, varia egregie scripta legi possunt. De caetero notum est, insignem hanc historiae & theologiae sacrae partem elegantissimis MOEBII, SAÛBERTI, BUXTORFII, TVRRETINI aliorumque dissertationibus illustratam esse.

mutatum, & ita perticae impositum esse perhibet. (i) Recte vero Auctor Bibliothecae citatae, quod haec explicatio hypothesein, de Diabolo Antitypo, oleat, judicavit. Ita enim ESPAGNEVS, BVRMANNVS, VITRINGA, DEYLINGIO (k) commemorati, durum horrendumque arbitrantur, comparare Christum cum diabolo, cujus alias, imo in hac ipsa historia, serpens sit emblema: Rectius cogitari de Christo, in cruce triumphaturo de serpente, quem secum simul suspenderit, & exposuerit. Col. II. 14. 15. Sed testimonium ipsius Christi Joh. III. 14. per particulas comparationis, καθως & ὡς illic adhibitas, ad ipsum Filium hominis nos remittunt; neque, ut de diabolo hic cogitemus simul suspensio, necessitas postulat. Servatorem ergo nostrum serpentis aenei antitypum fuisse sancte credimus, & applicationem, ad ductum ipsius Scripturae, non adeo difficilem deprehendimus. Tertia comparationis autem latere nobis videntur, primum in *exaltato serpente*, tum in *effectu*, ad Israelitas inde resultante, & denique in *medio*, ad hunc effectum obtinendum, laesis praescripto. Primo enim erigebatur serpens, figuram quidem, sed nec naturam nec venenum serpentis habens, affigebatur perticae, & ponebatur ob oculos totius populi: ita Christus, in similitudine quidem carnis peccati missus, ipsam tamen peccati carnem non habens, (l) affigebatur ligno, & erat exaltatus, Joh. XII. 23. ut ab omnibus in cruce conspici posset. Insignis igitur differentia est, uti in typo, ita in antitypo quoque, inter serpentem laedentem & erectum sanantem, qui priori, qua naturam & effectus plane dissimilis fuit. Ille rationem veneni, hic pharmaci habuit. Quoad secundum comparationis membrum invenimus populum immorigerum, eamque ob causam, lethalibus vulneribus, per venenatos serpentum ictus immisissis,

F 2

mor-

(i) hanc recensionem vid. in *Bibl. Bremensi Cl. IV. Fasc. I. p. 178.*

(k) *Obs. cit. §. XXII. seqq.*

(l) *Rom. VIII. 3. Ebr. IV. 15.*

mortis periculo subjectum; ab eodem vero, virtute serpentis aenei erecti, liberatum & viventem: Pari modo natura hominis corrupta, voluntati divinae obloquens, serpentis infernalis morsu & impulsu peccaminoso, qui telorum igneorum nomine (m) Paulo venit, morti aeternae proxima quidem reddita est, sed Christi crucifixi virtute a veneno peccati & mortis rursus liberata, & ad vitae aeternae aditum perducenda. Tertium denique quod attinet, medium salutis comparandae intercedens, in intuitu consistit, qui quemadmodum omnibus, per morsus serpentinos laesis, aequae possibilis & licitus erat, ita etiam omnes peccatores per fidem, quae, non quidem per vires naturae, sed tamen per divinam gratiam, mediaque divinitus constituta, omnibus possibilis est, sanitatem ab & in Christo ad salutem aeternam obtinere possunt. Caeterum & hic, praeter supra allegatos, BIERMAN-NVS (n) conferri poterit.

§. XII.

Deducimur nunc in recensione beneficiorum typicorum praestantiorum *ad introductionem in terram*, omnis felicitatis genere abundantem, per Josuam, itemque distributionem hujus fecundissimae regionis inter totam & solam Ecclesiam Judaicam factam. Anhelasse Judaeos tandem post vaga & molesta in deserto, per quadraginta annorum spatium, itinera, optatissimae, dulcissimaeque quietis fructus, facile concipitur; quae, cum ipsis, Josua Magno Duce, antecedente miraculosa hostium everfione, ejectione & oppressione, contigisset, de verissima promissionum, divinarum executione prorsus convinci poterant atque debebant. Ipsi terrae, omnibus numeris velut absolutae, possessio promittissimam

(m) Eph. VI. 16.

(n) p. 803. seqq. add. H. WITSIVS in *Oecon. foed. div. L. IV. c. 10. ubi* & de *Transitu per mare, Mannae, & aquae, beneficiis, quae ipse Sacramenta extraordinaria vocat, non inelegantes observationes reperiuntur.*

tissimam variarum calamitatum, quas subire antea debuerant, oblivionem in ipsis conciliare potuit. Denegavit quidem regioni Canaan hanc fertilitatem & praestantiam, contra Dei hominumque varia testimonia, post JVLIANVM apostatam, famosus nostrorum temporum empaecta TOLANDVS, qui haud ita pridem in locum suum abiit. Refutavit vero hominis nugas, figuratum vel saltem comparatum sensum loco classico Exod. III. 8. adfingentes, ejusdemque impiam de pia fraude, dolo, stratagemate Mosis, exercitum, per tristia loca oberrantem, locutionibus hujusmodi hyperbolicis animaturi sententiam, Rev. DN. DEY-LINGIVS (o), dum variis variorum Scriptorum testimoniis, descriptionem STRABONIS, cui TOLANDVS, ob animi malitiam, tantam fidei praebuerat, suspectam esse comprobat, & hodiernum statum terrae, ob maledictionem divinam, toto coelo a priori differre, evincit. Verum, qui maledictionem vel benedictionem divinam ei persuaderes, qui omnem risit religionem? Absit ergo a nobis detorsio verborum Scripturae; qui potius summum illud beneficium Dei debita admiratione veneramur, cum primis ob praestantiam regni Servatoris nostri, mystice hoc ipso typo, per sapientiam divinam, dilineatam. Siquidem in introductione Josuae in hanc terrae promissae quietem tantum acquiescere, ipsissima Pauli, vel potius Spiritus S. argumentatio prohibet: Ita enim Heb. IV. 8. 9. colligit: *Ει γαρ αυτες ιησους (Josua) κατεπαυσεν, εκ αν περι αλλης ελαλει μετα ταυτα ημερας· ορα απολειπεται σαββατισμος τω λαω τε θεις.* Ergo *σαββατισμον*, hanc quietem, supra §. IV. in typo Sabbati adumbratam, typum *Regni Christi, tum gratiae tum gloriae* fuisse, vel minima cura adhibita deprehenditur. Tertia quoque comparationis eruere, facile est, si vel *Ducem*, vel *subditos & incolas*, vel denique *regni ipsius felicitatem* accuratius perpendamus. Josuam Jesus nostri nomen & omen habuisse, partim ex loco adducto, partim ex

F 3

alio

(o) in Obs. Sacr. P. II. obs. IX. §. IX. seqq.



alio summi sacerdotis typo, Zach. III. patet. Christus est, qui, Mofi eminentissimo modo succedens, distribuit fidelibus habitationes coelestes, Joh. XIV. ille praeparabit sortem cuique Matth. XXV. 34. Populus, qui introducebatur a Josua, per Sacramenta Circumcisionis & Agni Paschalis quasi redintegrata de novo, foedere quodam, ad Deum ducebatur; ita obstricti, quidam suam portionem obtinebant, ita tamen, ut & alios, sortem occupare & hostes ejicere adjuvarent; non enim quieta habitatio ante permittebatur, quam hostes Dei funditus delerentur. Sic nemo nisi per Verbum & Sacramenta in regnum Christi introire potest, nemo ut subditus quiete illic habitare, nisi carnem, mundum & similes hostes alios, divina virtute & successive, vicerit. Imo quilibet obligatur, ut vires etiam, in perducendis, quantum potest, aliis ad eandem felicitatem, impendat. Denique felicitas & fertilissimus regionis status nobis repraesentat infinitam bonorum coelestium varietatem Eph. I. 3. seqq. item varia dona spiritualia I. Cor. XII. adducta. Quae cum amplissimae jam sint primitiae in regno gratiae nobis suppeditatae, multo largiorem perfectioremque messem infinitae felicitatis in regno gloriae promittunt omnibus, qui, divino ordini insistentes, fidem constanter servant. Etenim & hic, non nisi qui sunt membra populi Dei, qui obsequentes sunt, qui vincunt, in quietem laetissimam introducuntur: reliquis in deserto prostratis. Vnde si vel maxime *annorum Sabbaticorum & Jubilaeorum* commoda, typica esse censeantur, & ad Sabbatismum typicum, tanquam species ad genus, referenda quibusdam videantur, nihil tamen inde lucrantur, aeterni, quod vocant, Evangelii Patroni. Sunt ista Privilegia Israelitis propria, in quantum a peregrinis distinguuntur, & incolae sunt promissae regionis. Sabbatismus hic populo Dei promittitur Ebr. IV. 9. Dantur vero alii, de quibus Deus jurato negat Pf. XCV. 11. Ebr. IV. 3. perventuros eos ad quietem. Vnde & Apostolus I. c. v. 1. gravissimis verbis atque argumentis quosvis exci-

excitat ad fidem, ad circumsp̄ctionem ac diligentiam: φοβηθω-
μεν εν, μηποτε καταλειπομενης επαγγελιας, εισελθειν εις την κα-
ταπαυσιν αυτης, δοκη τις εξ υμων υπερικεναι. Quae per occasionem
hoc loco subjungenda adhuc nobis videbantur, iis, quae Sectione
priori §. XIII. p. 22. de hoc argumento disseruimus.

§. XIII.

Tandem superest *soluta Captivitas Babylonica*, & liberatio
Judaeorum ex illa, a nobis inquirenda, & in quantum typici
quid complectatur, demonstranda. Quod etiam in eo clemen-
tia divina illustri specimine se manifestaverit, & ut ingens bene-
ficium a Judaeis quoque agnitum fuerit, ex considerata Babylo-
niorum petulantia, & Judaeorum in Palaestinam redeuntium lae-
titia patescit (p). Praefigurasse vero & hoc gratiae divinae testi-
monium, liberationem ab hostibus Ecclesiae & tyrannide spiri-
tuali, mox ostendemus. Non enim impedit, quod ejusdem
antitypi imaginem in cessatione servitutis Aegyptiacae jamjam de-
prehendimus, quia unius ejusdemque rei plures typi, secundum
canonem hermeneuticum, esse possunt. At enim vero Scri-
ptura S. ipsa (q) hoc beneficium posterius, tanquam illustriorem
typum ad Novum Testamentum tendentem, priori illi subjun-
gere videtur, dum, tempore Novi Testamenti cessaturum ait ju-
rumentum in Nomen Dei Israëlitis ex terris Aegypti ducentis, eo
quod celebratio gloriae, populum ex terris Septentrionis liberan-
tis, in ejus locum succedet. Cum itaque liberatio ex Babylonia,
in se considerata, non sit majoris momenti, quam educio ex Aegy-
pto, nec proinde hujus, tanquam minoris beneficii, memoriam
imminuere quasi possit, merito Interpretes de beneficio Novi Te-
stamenti spirituali, verbis, ex beneficiorum Vet. Test. phraseolo-
gia

(p) vid. Pf. CXXXVII. & CXXXVI. item Libros Esrae atque Nebemiae.

(q) Jerem. XXIII 7. 8. agere hunc locum de temporibus V. T. ex promisso v. 5.
לְרֹדֵי צָרָה וְצָרָה לְרֹדֵי

gia defumtis, descripto, in explicatione hujus loci cogitant: ut alia hujus expositionis fundamenta ex ipso Textu defumta (r) nunc taceamus. Recte proinde B. SCHMIDIVS (s) ex hoc loco infert: *Eductio e captivitate Babylonica, ex qua Populus Israëliticus reductus est, typus fuit majoris beneficii, per Christum conferendi, nempe educationis e captivitate inferni spirituali.* In applicatione itaque hac instituenda, respectus, tum *Domini, potestatem habentis, tum captivitatis, tum populi liberati, tum denique liberationis ipsius* habendus mihi videtur. Rex, Israëlitas in captivitatem abducens, erat valde superbus & absoluta potestate, longe lateque se diffundente gaudens; & Satanus est princeps hujus Mundi, permissu Dei multos in vinculis, in quae semetipsos praecipites dederant, tenens. Jugum Babyloniorum summopere servile erat, multos Judaeos a vero veri Dei cultu ad superstitionem abducens, piis vero mentibus lacrymas extorquens. Diabolum vero, plurimos seducere & piorum mentes conquassare, quis negabit? Porro, quemadmodum, libertate, captivis omnibus concessa, redeundi ad pristinas sedes, non tamen singuli sunt usi: ita oblatam ex captivitate spirituali ereptionem multos repudiare, tristis, sed quotidiana tamen experientia testatur. Denique liberatio, uti in typo, non uno simul tempore, sed successive quasi contigit: ita quamvis spiritualis liberationis acquisitio, una satisfactione Christi simul consummata est, applicatio tamen ad individua singula fit successive. Imo sapientiae divinae relictum est, cur hic hominum coetus prae altero, ex servitutis jugo serius aut citius liberetur; praesertim, si ad vindicationem Ecclesiae ex regno Anti-Christi simul haec beneficia referre velis. Possesse autem atque debere, non tantum hanc ex captivitate Babylonica liberationem, sed etiam educationem ex servitute Aegyptiaca, de qua superius diximus, simul, & specialius, ad felicem hanc purioris coetus

(r) v. CALOV. *Bibl. Illustr. in b. l.*

(s) in *Comm. in Jerem. LL. Commun. in hunc locum.*

coetus ereptionem applicari, verba τῆς Θεολογίας Johannis in Apocalypsi passim jubent, dum regnum hujus hostis, Babylonem & Aegyptum vocat; ubi etiam inter alia, ratione superbiae & securissimae persuasionis, de nunquam metuendo statu pejori, quam maxime convenientiam observari censemus.

§. XIV.

Atque haec sunt selecta quaedam beneficia in Vet. Test. fidelibus & populo Dei collata, quibus, velut in typo, altiora Nov. Test. bona praefigurata fuerunt, & in quibus breviter delineandis, scopo Dissertationis nostrae, quantum in viribus fuit, satisfecisse speramus. Lubenter enim concedimus, dari adhuc plura, quae ad hanc classem referri mereantur, & quae proinde etiam copiosius elaborari possint. Inter alia forsan locum haberet Conjugium, a Deo in hominis creati commodum institutum, quod Paulus (†) *μυστηριον* sive typum unionis Christi cum Ecclesia vocat. Addendus etiam esset totus cultus Leviticæ apparatus, quem Paulus ipse ad Christum retulit, in quo, etiamsi multa onerosa & servilia reperiantur, quae pro externo habitu, beneficii notam non habent, multa tamen simul connexa sunt, sub quibus latent, quae populo Dei utique erant salutaria, quaeque Evangelicorum beneficiorum nucleum continent. Huc tendit effectus omnium sacrificiorum, huc tendunt illa *βαπτισματα*, purificationes & quae sunt reliqua. Sunt & nonnulla beneficia personis quibusdam particulariter exhibita, in quibus vestigia typi non adeo obscura latere quibusdam videntur. Quoniam vero haec & similia, limites brevis nostrae tractationis excederent, merito filum Dissertationis abrumpo; DEOque Ter Optimo Maximo pro singulari in hoc labore concesso auxilio, gratias ago decentes easque summas. Ille porro benedicat conatibus meis, eosque ad sui Nominis gloriam dirigat. Amplificet cognitionem in veritate sua, quo, (qui harum meditationum nostrarum quoque esse debet scopus & usus,) indes beneficiorum suorum cumulum atque vim detegamus; Sapientiae abyssum venerabundi admiremur, temporalibus, quibus etiamnum ex divina bonitate fruimur, beneficiis tanquam hodegis ad spiritualia atque eminentiora, quae Gratia Benignissimi Numinis animae offert atque parat, utamur; & post primitias eorundem, in regno gratiae degustatas, tandem per beatam *αναλυσιν* ad amplissimam eorundem messem & beatificam fruitionem perveniamus.

S. D. G.

(†) *Eph. V. 32.*

G


PRAE-



PRAECLARE DOCTO POLITISSIMOQVE
DISSERT. HVIVS AVCTORI
S. P. D.
GVST. GEORGIUS ZELTNER, D.


Legis peritum Servator O. M. eum celebrat probatque, ut bonum atque idoneum sacro muneri obeundo, qui Vetera atque Nova pariter e sacra penu depromit. In Te, Amicissime Domine STOY, haec si quadrare dixerō, non putaverim a janua me aberraturum. Quamvis enim nondum officio publico admotus, ea doces, quae Legis & Evangelii aptam conjunctionem exposcunt, Veteris tamen Fœderis & Oeconomia typorum ex novæ dia. d. h. s. mysteriis illustratione eleganti & accurata, quid impostero pollicearis Te praestitutum, facile est intelligere. Quos conatus cum approbem dignisque laudibus merito praedicem, non hoc tantum labore, sed variis industriae Academicae speciminibus aliis, publicis privatisque, eadem Te via, recta & laudabili incessisse, prudentique insuper atque integerrima & a contagio vitiorum pura vita, eruditionem simul ornasse candide testor, multosque Tui similes Auditores expeto atque opto. Faxit DEVS, cui tam pulchras dotes, quibus polles, acceptas refers, ut posita tam bene in hac Univerſitate fundamenta non solum progressuum ulteriorum sint incitamenta, sed nostram etiam de Te conceptam spem optimam, qua Ecclesiae singulare Te decus fore ominamur, & impleas & superes. De me quae promittam, non alia habeo, quam candidi affectus nunquam intermorituri tenuerit, quavis occasione demonstranda, qualia a Te vicissim, uti adhuc factum est, porro expecto. Ita vale & veritati indefessum praesidium, dum vixeris, piè constanterque presta. Scrib. festinante calamo. Altorphi
Pridie Kalend. Quintilicis A. τῆς Χριστογονίας MDCCXXIII.

PRAE-



PRAESTANTISSIMO DISSERTATIONIS HVIUS
 AVTORI AC DEFENSORI
 IOH. GVILIELMVS BAIERVS, D.
 S. D.

EA quidem est virtutis Tuae doctrinaeque praestantia, Vrbi patriae non minus quam huic Academiae spectata, ut nostro haudquaquam indigeas testimonio, ea quoque ingenii Tui suavis modestia, ut pro meritis collaudari neque cupias, nec omnino feras: attamen, cum iam eo loco res sit, ut recte honesteque confecto industriae Tuae curriculo, in alias demigraturus regiones, publicum & praecclarum hoc eruditionis statuas monumentum, non potui non pia saltem Te prosequi gratulatione, votis denique & ominibus faustis. Deus, quem pura mente colis, cuius benefactorum mysteria tam diserte religioseque celebras, ubivis locorum saluum Te praestet, *Amice carissime*, & multis gratiae suae muneribus auctum patriae reddat, cui amplissimo quondam sis ornamento, Parenti autem Venerando sincerum ac diuturnum praebeas solatium senectutis. Vale.



ORNATISSIMO HVIUS DISSERTATIONIS
 AVTORI
 S. D.
 PRAESES.

Cum nuper Tuam mihi aperires mentem de edendo publico specimine, quo studiis Tuis, non sine laude apud nos tractatis, imponeres colophonem, meumque inde consilium ac praesidium quaecumque efflagitares, non unum mihi laetitiae simul argumentum suppeditasti. Obversatur menti primum pia utriusque Tui Avi, Paterni & Materni memoria, quorum illum ego ut Sponsorem baptismalem, hunc ut Socerum, etiam post beata utriusque fata, sancte colo, quorumque Te, non minus

ac

ac Paterna, vestigia praeclare exprimentem nepotem, me in cathedram theologicam comitari posse sincere gaudeo. Auxit laetitiam animi, studium Tuum non vulgare, quod, in elaborando argumento dissertationis, ex pluribus selecto, mihi satis probasti, et aequis harum rerum aestimatoribus, nisi amor in Te meus me fallit, non minus probabis, quamvis in re adeo diffusa multo plura addi potuisse, ipsemet modeste fatearis. Accedit amplius luculentum vitae in hac Academia, non sine industriae, modestiae ac probitatis laude gestae testimonium, quod, quibus vel Praeceptoribus, vel Amicis innotuisti penitus, lubenter Tibi largiuntur. Quae omnia denique spem mihi faciunt non vanam, fore, ut et laetus alacrisque per Divinam Gratiam in cepto tramite sis progressurus, et iusta olim diligentiae praemia consecuturus. Ita, Mi Optime, rem facies tum spe atque votis Pl. Rev. Parentis, tum amicorum desideriiis, tum mea denique expectatione dignissimam. Ego vero DEVM veneror, ut celesti sua gratia omnia Tua dirigat, et exoptatissima benedictione cepta secundet. De meo in Te affectu sincero non dubitabis, quemadmodum Ego Te Tuum mihi servaturum esse amorem non spero tantum, sed Ego confido. Ita vale E res Tuas gere feliciter.



Der Fleiß / Gelehrsamkeit und wohlgegründtes Wissen;
 Ob Freund- und Höflichkeit, zu jedes Dienst geübt;
 Ob reine Gottes- Furcht entfernt von Heuchelei,
 An Dir, mein Theurer Freund! mehr Wunderwürdig sey,
 Darüber (solt mich auch der Wahn- Witz Schmeichler nennen)
 Hab ich bis dato mich noch nie entschließen können.
 Daß diese Tugenden, in gleich-erhöhtem Grad,
 Der Himmel Deinem Geist tieff eingepräget hat,
 Daß sie in Dir so fest, so angenehm verbunden,
 Hab ich in diesem Werck und Meister- Stück gefunden:
 Die Arbeit gibt mir schon von Deinem Fleiß Bescheid;
 Der Zweck und Inhalt zeigt von Deiner Frömmigkeit;
 Und Deine Modestie läßt sich ganz deutlich spühren,
 Man les die Blätter nur, und hör Dich disputiren.

Zu Bezeugung seiner Ergebenheit
 und schuldigen Gratulation
 feste dieses

G. J. Deinlein / Phil. & J. V. D.

1783 (o) 1783

Index.

- 1.) Jar. Borch (J. P. S. t. Baumgarten) de Variis modis abutendi Evangelio.
- 2.) Jo. Rud. And. Piderit de Characteribus Antichristi.
- 3.) Jud. Christoph. Glanz de Sive docendi in conventibus laicis.
- 4.) Jo. And. Tafinger (J. P. S. t. Baumgarten) de Sacramentis generationis speculatis.
- 5.) Cabr. Joh. Speck (J. P. t. Hartmanni) de Confubstantiatione nullo modo haeretica.
- 6.) Joh. Tilmann d. Schenck de morte fidelium temporali.
- 7.) Jo. Mart. Chladenius de morte fidelium post devotam a Servatore mortem residua nihil paradoxum. *(Chabate.)*
- 8.) Bernh. Georg. Freckmann (J. P. S. t. Baumgarten) Historia doctrinae de Statu animarum separatarum.
- 9.) Jo. Christ. Hebenstreit Dissquisitio: Num Moyses in formanda sua gentis Republ. de futuris promissis aut poenis cogitaverit, eorumque aliquam mentionem fecerit?
- 10.) Phil. Jac. Ammendorf de convenientia novissimi Suedici cum Legislatione. *Diss. prior*
Diss. posterior
- 11.) _____
- 12.) Gottl. Wernsdorffii Dissquisitio: Utrum forsan nonnulli pii ante diem extremum resurgant?
- 13.) Gottl. Joh. Winckleri (J. P. S. t. Baumgarten) Concentratio quorundam Oratio, Meditatio, Tentatio faciat Christianus Theologus.
- 14.) Gottl. Muller de E. t. i. c. e. l. a. Theologia.
- 15.) Rud. Diet. Löwemanni Dissquisitio: Num mens hilarior, an tristior Ministris Eccl. potu magis deest?
- 16.) Jo. Lud. Frid. Schulleri (J. P. S. t. Baumg.) Fuga Christianorum & in sp. Sacerdotu ad trutinam Sat. & Revel. ycta.
- 17.) Hier. Jan. Schlemmer (Prof. Eccl.) de Lachione necessaria in querculo de Disiplina in Eccl. era depicta insaurandae, Dissquisitio.
- 18.) Jo. Georg. Krappius de Statu temporum nato Christo & de singulari plane temporis nostri signo.
- 19.) Laur. Reinhardi Sialographia & Prodomus Theologiae Eccegeticae.
- 20.) Hier. Georg. Götzneri Examen rationis interpretandi a Weffenio plerumque adhibita.
- 21.) Gust. Georg. Zeltneri Evangelium τὸ εὐαγγέλιον e. N. T. exulari.
- 22.) Car. Lud. Francke (J. P. t. G. Michaelis) de Josepho, typocrisia admodum perfecta.
- 23.) Joh. Fried. Stoy (J. P. t. t. Pfizeri) de Beneficiis Typicis.

